SANCTIORES TRIARII, S. J.

Diaboli, Carnis, & Mundi,

HEROICI VICTORES

B. STANISLAUS KOSTKA
Polonus.
B. JOANNES FRANCISCUS
REGIS Gallus,
Ven: ROBERTUS BELLARMINUS
ntepolitianus S.R.E. Card: è Soc: JESU.

Tergemina Pòësi

ADORATI

a

Josepho Bogucki Soc: JESU.

Anno Dni MDCCXX.

Typis Clari Collegij Posnaniensis.

EMBLEMA
IN PATRITIVM INSIGNE ILLUSTRISSIMÆ DOMUS.



nullam majore locuta est
Ore ratem, totum discurrens Fama per orbem. Lucan.

Navis inoffenso tenuit Tua poplite portum
Calcavit tutâ salsa pericla trabe.
Nec mirum; Patrii fuerant Pharus alta nitores,
Remi gesta, sagum carbasa, Rector Honor.

ILLVSTRISSIMO
&
EXCELLENTISSIMO DOMINO
D. LUDOVICO
SZOŁDRSKI
CASTELLANO GNESNENSI
Domino & Mecænati
FAVENTISSIMO.

TRitam nuper Trabeato honore viam, SANCTIORES ingrediuntur TRIARII. ILLVSTRISSIME DOMINE. Nec alia in Purpureæ Domus Tuæ atria, patet semita; nisi quâ avita honorum præivit pompa, & emeritus Majestatis favor fecit viam Regiam. Calcatos triumphatore passu calles Appios, Patritia hic Fortuna reciprocat; & ternis Heroicis Victoribus non desperans aditũ fiducia aperit ineundos. Lectas illi, tergemini hostis excidio palmas, pulchro fœdere vestris

innectunt lauris; in beatum immortalis plausus ambientes consortium; quos paria pro utraq; Patria non ignorant certamina exantlâsse. Non dedignantur Divi honoris admittere participes, quorum sacræ Tiaræ frontibus, sanctiores cathedræ Præsulibus, Divinior Senatus Oraculis, Cælum meritis augeri gestit. ambit coronari. Novâ etenim inaurastis Majestate Tiaras, dum impleretis; laudando fastu inaugurastis cathedras, dum admisistis; sacrum, traxistis in stuporem senatum, dum effatis animaretis; novô Cælum induistis vultu, dum pretiosæ mentis gemmas inseruistis coronæ meritorum. Sed vix non in angustias superos redegistis, gestorum amplitudine; dum illi honores quærerent, quibus ornarent; vos augusta æmulatione cumularetis facta, quæ ornarentur. Quidquid enim in aliis animi opinionem superat, indolem vestram vix adæquat; nihilq; non habet fidem, quod meruit admirationem. Illud unum, fidei meritũ amitteret, si vacillans famæ diceretur ambigere, SZOŁDRSCIANUM Nomen vetustate sæcula, curules Quiritibus; castra Heroibus, Martem Lechicum animo, hostes terrore, tutelâ Patriam, orbem gloriâ onerâsse; solumq; peperisse dubium: plusne Patritia famæ domus, num fama Domui deberet? quod tanti digna Nominis bajula censeretur. Nec hyperbolâ inflatam cano fabulam, gratæ

nec

nec immemoris fidelitatem appello Patriæ. Tot honorum beata splendoribus Numina, Maternô illa recondidit animô, non oblivione tumulavit. Fascibus usa pro calamo, togâ pro folijs, Tyrio vellere pro sepia, futuris transscripsit lustris, non ab Heroum fastis proscripsit, famæ supplendo obsequium, quod hæc imparem se tanto muneri fateretur. Orbem Polonum evolve, calculum Fortunæ consule & Majores tuos releges ILLVSTRISSIME CASTELLANE, quos oratoria penna nec laudare par, nec narrare. Hinc enim avitæ Majestatis reverentia, inde propriæ tenuitatis conscientia, dum in gradu defixam, in stuporem deiicit, palam admonet: faciliùs profundô coli summa silentiô quàm vel immensâ verborum congerie comprehendi. Surgentium è terræ gremio decorum apicem, etiam reptanti stylo attinget, vel pumilio Orator; immensam olympi faciem, innumeræ Cælorum linguæ sidera, non adæquarunt hactenus laudis Majestate. Plusq; taciturna adorat admiratio, quàm sollicita evulgasset mundo facundia. Eadem difficultatis moles & nostrum percellit calamum, sistit animum. Qui hinc ignavæ taciturnitatis metu, inde imparis suadæ periculo trepidus; tantùm à loquẽdi abhorret promptitudine, quantùm impellit alios temeritas garriendi. Sed acuat quamvìs humilioris Tullii pudor, timorem; audemus ta-

men fiduciâ humanissimæ tolerantiæ tuæ, potiùs materiam præbere ignoscendi, quàm non fateri palam, non possè ea tibi exhiberi, quæ meneris. Quocirca dimidio saltem exemptus metui, Purpureo Togati sanguinis Oceano, gentilitiâ vehendum NAVI committo Tullium; nec aberraturum à votivæ portu venerationis, cui Pharum accendunt splendores Patritii, & primæ magnitudinis in Polo Poloniæ sidera, Polarem supplent stellam, dum superant. Primus & pupillam & Tullianæ Navis rapit rostra, ILLVSTRISSIMVS Domûs Tuæ Oriens; ad cujus jubar non degeneres vos Polona Aquila experta pullos, eò ungue Patrio provexit, ut his in ortu Trabeata gentis Lucina incinxerit Vos splendoribus, quos desiderarent alii in meridie. Idem nasci Vobis, quod inaugurari ad honores. Idem stringi fasciis, quod fascibus manum porrigere; primum vagitum attollere, quod promissum triumphis pæana insonare. Quo vos passu Lucina in lucem produxit eodem Fortuna in splendorem. Vix illæ concessit gremio, devovit hæc curulibus, tantùm anxia de gloria, quantùm illa sollicita de vita. Lac alii sugunt in cunis; vos primorum in Regno subselliorum candidati. Candorem bibitis, ne atrô notandum quidquam calculo livor in vobis inveniat. Nec invenisse, thronus fa-

tetur

tetur Patrius, Orbis subscribit Polonus, (a) *Patria fidelitati Vestræ gratissima, Fides orthodoxi Nominis, perennis hæredissa, juncto decantant consensu; dum illa perduelli animo aditum, hæc Vittembergæ incantatrici ingressum, in vestra semper negatum limina profitetur. Notum quinimò orbi fecerat Divus honor, limina vestra pietatis Augustal; Illustrissima atria virtutum gynæceum; Patritium Nomen, Religionis classicum, & Togatā gentem integram, Fidei propaginem, familiam fore probitatis. Notum inquam fecerat, dum invenit quod ornaret. Et vix non exhaustum se unâ domo senserat, dum pensandis meritis universam decorum penum expenderet; studeretq; ijs præmio respondere ausibus, quos non ad posterorum ideam, non ad sequacium exempla, sed ad desperationem æmulorum, natura instruxit, Fortuna adornavit. Assertorum testem, vix non depauperati honoris documentum Te voco in medium* ILLVSTRISSIME *&* REVERENDISSIME *trium Infularum decor & decorum Infula* KIIOVIENSIS *primò, tum* PREMISLIENSIS POSNANIENSIS *deinde* ANTISTES; *sub cujus nomine, quam vivus olim non adivit, lustravit*

(a) Inter cætera, quæ hanc illustrem familiam illustrant est, quod Regibus semper fuerint fideles & Patriæ, atque ab orthodoxa fide nunquam errantes ait Okolski in orbe Polono in Indice Tom: 2.

redivivus Provinciam ANDREAS, conformem nactus fortissimo animum & Apostolico os muneri non difforme. Gessisti quocirca ubiq; Apostolum, Nominis hæres, Virtutum successor. Vladislai Quarti tunc Principis, viginti & ultra annorum spatiô Cancellarius; Turcicarum ad Chotimum, Moschoviticarum in Moscuæ viscera, expeditionum comes; prætulisti consiliorum robore fortissimum, dum quibusvis hostium minis intrepidum. Vigilâsti pro Principe felicior Antipater; prospiciebas incolumitati Patriæ, salutis publicæ pupilla; novâ augebas Majestate Principis effata, pretiosior verborum gemmis annulus; & fortior Gallicano Hercules, indissolubili oraculorum nodo, catenatos, Vladislai plantis hostes attrahebas. Inde arcanis Sigismundi Tertii adlectus Ephestio, silendo fecisti aurea; adstricta verborum inopiâ, consiliorum ope ditissima; taciturnitati deniq; non oblivioni ubi mandaveras, pretiosa latere perenni exemplo docuisti. Serenissimo Principi Ioanni Alberto S. R. Eccl: Cardinali, Cracoviensi Episcopo, Poloni Majestatem Nominis Romæ illaturo datus Procancellarius, eô exceptus es à successore Petri affectu, quo accepisset Andream Fratrem, Petrus Frater. Ad caput orbis natum Lechicæ ingenuitatis genium palam asseruisti; ubi mentô Patriæ conformium morum suavitate, Vatica-

nos

nos demulsisti oculos, traxisti aures, cor rapuisti. Cum verò Præsulei sensûs egisti interpretem, Principis oracula

Eloquiô crevere tuô, nec digniùs unquam
Majestas meminit sese Romana locutā *Claud.*

E Latio reduci, miro consensu primarū Cathedrarum vota ivere in occursum; & velut Romano Capite ad sacra inauguratum subsellia, partiri inter se constituerant; nam si quævis ornare totum prætenderet, etiam amplissima Diœcesium gloria, angustias pateretur. Crusvicia igitur, Posnania, Gnesnaq́ Præpositum, Cantorem Cracovia, Decanum Lovicium, Lancicia Scholasticum expetijt à superis, & impetravit; nam renuere astra non poterant quod Patria gestorum intuitu, Majestas obsequiorum titulo, populus beneficiorum memoriâ, Astræa meritorum obtentu implorabat. Accendit & Infulis desiderium, Augustum frontis jubar; & res veluti ad Triarios devenisset, supremo conatu tergeminum instruxere assultum, ut Divis expetitum caput honoribus subjugassent. Kijoviensis prima, medios inter Aquilonis exarsit algores, dum septem redimiendam trionibus frontem anhelaret. Premisliensis, sacrâ quadam conceptá invidiâ, ultro Præsulea tempora involavit; Tu verò implesti meritis cunctas dum fronte Tyaras. Brevi tamen illarum solatio. Qui enim Posnaniensis Capi-

tuli

tuli illustrat ceras Petrus, non est passus avelli à se Andream, honorum distantia; invenit in majore Polonia quô maximos ausus coronaret. Adlegit Posnaniensi Cathedræ Antistitem, sibi Coapostolum & Fratrem. Rexisti quapropter Provinciam ut Petrus regeret; prospexisti integritati Diœcesis, ut Petrus Ecclesiæ; in Provinciali Synodo, impressisti Spiritus Apostolici monumenta, quæ Petrus in Epistolis; instillasti populis præcepta exemplo, quæ reliquit Petrus in verbo. In Divorum cultum effusus, in Templorum decora prodigalis, in Numinis penetralia pæne prodigus; Vniversas in ædium Sacrarum opem. opes erogâsti; quasi non aliam in finem. piis Te dotâssent astra proventibus, nisi ut liberalitate tua efficerentur superi ditiores. Radiant adhuc præ Cathedralis Basilicæ turribus, munificentiæ Tuæ testes clarissimi Naves Patritiæ; ad quas Piscatorem rursus agere non dedignatur Petrus, feliciore Timothei fato, sed gratitudinis obsequio, in SZOŁDRSCIANÆ Domûs retia, Provinciarum fasces impellendo. Dignioremq; hanc superis indigitat Argo; utpote, quæ tot Fortunatiores ad ætherei Imperii vellus Iasones provexisset. Quos non est cur vocet penna in medium, qui pridem fastorum vitæ, medium tenuere Beati. Non est, cur tenuem producam in paginam; quos orbi, famæ stylo inscriptos le-

gunt

gunt sæcula, adorat posteritas. Talem Progenitorem Tuum STANISLAVM Comitem in CZEMPIN, de Te Diviniore Phœbo terris edito, Iovem auguratur. Talem Germanum Tuum, veriorem Castoris Pollucem MATHIAM de SZOŁDRY Terræ Posnaniensis Notarium; qui judiciariâ pennâ dum portenta scelerum è Patria proscripsit, propriis virtutibus Oratorum calamos oneravit. Illarum hæredē dum STANISLAVM Calissiensem Pincernam reliquit; Lechicæ Themidi SZOŁDRSCIANI Nominis amorem implantavit. Ab hac non semel evocatus, à Palatinatibus deputatus ad Areopagum Patriæ, Aristidi palmam præripuit, Phocionis justas laudes, zelo æquitatis confudit, quoties pro justitia decertavit. Vbi verò in Comitiis Provinciam sustinuit, illâ dexteritate ingenii, eô consiliorum connisu, Reip: basim attollebat, quo majorē non desideraret Roma in Catone. IOANNI BIECHOVIENSI CASTELLANO adstricta Senatoriæ nodô Purpuræ innexuit elogia Fortuna; & Patritiam sellam, quod nobiliori obtigisset Metello bajulæ, Illustrissimis meritis fecit obligatam. Hic perpetuum professus aut contra hostem, aut contra vitia certamen, (a) *quos Patriæ genuit non fabulosus Hercules Thessalos, Marti Lechico, tuendæ Sarmatiæ,*

conse-

a) Mamertinus in Paneg.

consecravit; Et dum ALEXANDRUM in Prussica expeditione contra Gustafum, ANDREAM autem cum rebellibus Cosacis confligentem amisisse putaretur, in fastos Heroum invenit relatos. Vitam enim illis hostile ademit Fatum, non bellatorem animum extinxit. E vivis, non è medio Heroum sustulit. Nec furore hostis obrutos reor cecidisse; sed prono casu deprecatos Bellonam, ne Polonæ favere sorti negligeret. IOANNES, ANDREAS, & NICOLAUS, pridem thronum Sarmaticum Trabeatæ Domui obstrinxerant; ubi Vladislai Quarti Electione subscripta, palam orbem docuerunt, Patritiâ SZOŁDRSCIORUM Navi securè in portum Majestatis deportari. Sed cur historicum per tot Gentis Numina circumferam calamum? Pauciora hodie in annalium scriniis, quàm in vestræ Domus titulis, cognomenta leguntur, (a) *non alio recensenda calculo, quam si per fasces numerentur Avi. Quos junctis Fortuna & Fama dum attollunt plausibus & Oratori præripiunt, unum ego præterire non possum ILLUSTRISSIMUM BIECHOVIENSEM CASTELLANUM ANDREAM*

Egregium semper Patriæ caput; ille Senatûs
Vindex, ille Fori, Legum, Ritûsq; Togæq; (b)

Si nulla alia in Remp. nulla in Martem Po-

lonum

(a) Pacatus in Paneg. (b) Cornelius Severus in fragm: Vet. Poët:

lonum censeret merita; satis ei foret ad gloriam, satis ad bene merendum de Patria, quod Te ILLUSTRISSIME CASTELLANE GNESNENSIS *Patriæ Patrē, Senatui Consum, castris Gradivum, Curulibus delicium, Trabeis splendorem donasset. Non tam enim in lucem, quam admirationem & quandam inexpectatam Patriæ felicitatem editus esse videris. Quod ne in assentatricem livor devolvat Suadam, devotam bono publico, annorum appello seriem, ad gestorum provoco testimonium. Prima ætatis Tuæ eunabula, nil puerile aspexerant. Annorum senium, morum canicie anteverteras. Nec exspectari debuit, rugis fronti inarata cicatrix, ex qua nobiliore partu Minerva nasceretur. Mento canescebant alii, Tu mente; capillo, Tu animo. Adultoq; virtutum fructu, Phrygii Vatis in veritatem asseruisti oraculum:*

Tempora certè
Virtutem non prima negant non ultima donant a

Suspexit id & coluit Konarscianum Posnaniense Athenæum; cujus Palladi ubi teneram mentem devovisti; in insolitam scientiarum Matrem conjecisti sollicitudinem; dum anxia circumspiceret, quo sapientiæ pignus prosequeretur affectu. Rapuisti enim Eruditæ Paren-

tis

(a) Dares Phrygius de bello Trojano.

tis amorès, promerendo calamum quem rotabas, implendo volumina quæ volvebas, & propria legenda orbi ministrando facta, cum legeres aliena. In Phœbi eluctatum collem, suum ratus Hyacinthum Apollo laureatis deperivit amoribus, nec immeritò: Nam nisi Casthalim in Parnassò reperisses, è niveis Tuis moribus promanâsset. Inde in Metropolim Regni Craçoviam translatus, humaniores literas morum ingenuitate reddidisti; eâ contentione ingenii, ut, ubi Reges donantur diademate, Tu scientias coronares. Serenissimi IOANNIS TERTII Ephebórum choro annumeratus Ephestio, ijs exceptus es à Throno favoribus, ut Augustum IOANNIS pectus in solas Tibi Gratias abiisset. Hinc Triumphalibus à Gradivo palmis allectus, duxisti ordines Magister Equitum & anima. Excussisti è votis Patriæ Annibalem, minùs æstimari fecisti Leonidam, multum famæ detraxisti Scipioni, dum singulorum ausus animo, omnium animos ausibus excessisti. Observabat id vigili palpebrâ honor; sollicito exploravit honorum Nutrix Fortuna lumine; nec detorquere ab eo pupillam potuit, qui omnium in se oculos converterat. Huc & Heroicis áddicta conatibus flexit vultum Patria, inflexit & animum ut cognata semper honoribus merita præmiis insereret. Nec mor..m interposuit, honorem honori sub-

rogan-

rogando. *Vschovensis Dapiferi inauguratum munere, ad Posnaniensis Vexilliferi promovit dignitatem; ut sit commodius virtus, honor, Fortuna Tuis sub signis stipendia mereretur. Ambivissent implere cuneos Marii, ordinẽ conflarent Metelli, Manlii Torquati non renuerent Te Imperatore grave Martis opus tolerare. Expetiit & Martis soboles major Polonia Te Duce meruisse; cùm Confœderationis Mareschalco Libertatis votis expetito, Ordinis Equestris consensu delecto, annutu Majestatis asserto, vindicanda suorum obtentu pectorum, Liberæ Gentis privilegia, commisissent. Et egisti pro incolumitate publica, ut plus nec Roma in Scipione adversùs Annibalem, nec in Pellæo adversus Darium Macedonia desideret. Obstupuerint Graii ex Alexandri suos in pugnam accendentis ore flammas prorupisse; nobiliore Tu testimonio, bellandi ardore Mavortis flammam irritabas, qua leonem Gothicum deterreres. Si verò invictam mentis aciem, Consiliorum robore munitissimum animum, memoravero? hebetâsti hôc toties sine filiorum Patriæ cæde, hostilem gladium; elisisti adversas vires sine prælio, & uno ingenii acumine, integros non raro exercitus confecisti. Ad Comitiorum clavum non semel positus, projecisti in oblivionem Delphi oracula, quoties Palatinatibus loquereris. Pendebant ab ore Tuo universi,*

niversi, & votivos consiliis Tuis animos, amoris anathemata appendebant. Quare mentes omnium unus tenes (a) *corda omnium, liberæ vocis dogmatibus captivasti.* Coegisti *obsequiorum promptitudine, impulisti mirâ in implendis Palatinatuum desideriis alacritate, universorum vota, ad ingeminandum illud de Te cum Silio:*(b) Unum pro cunctis sat erit caput; *dum nullum fermè boni communis discrimen timeretur, quod non Tuis committeretur humeris amovendum; nullum salutis publicæ negotium obveniret, cui perficiendo non à Te suppetiæ quærerentur. Toties quocirca imploratus à Provinciis egisti Cyneam ad Majestatem; id est felicior Iason, Patritiâ Argo ad vellus aureum navigabas. Nuper extra Patriam in Saxoniam ablegatus, novô documentô orbem exterum certiorem reddidisti, non deesse Catones Poloniæ; & sub Boreali Vrsa, non indigna orbis capite ingenia enutriri. Agnovit id SERENISSIMVS AVGVSTVS SECVNDVS & non erubescendam, Purpuris innodavit facundiam; ut inter Procères locum capesseret, postquam non semel Procerum munus impleverat. Primæ Gnesnensi Curuli inseruit summo omine, quod ibi Trabeatis honoribus posueris cunabula, ubi Poloniæ Regnũ nasci elegit. Attollet Te è nido suo Patria A-*

quila

a) Martialis L. 7. Epigr. 60. (b) Silius Italicus L. 5.

quila Ante fidem solis judiciumq; Poli. (a) & toties jam probatum non degenerem, irretortâ palpebrâ primis inferet splendoribus. Evincent id apud superos, sacri pro Domo sua oratores, alter in sacra Dominici familia, Pauli Eremitæ alter assecla etiamnum superstites; pertrahent in suum facilè sensum Numina, quibus è sæculi honorumq; medio, Sanctioribus votorum vinculis attrahi se permiserunt. Adÿcient calculum tot Fortunatissima Majoris Poloniæ Nomina; quorum cognato nexu, integram fere Majoricam censes consanguineam, & primas Regni Trabeas edoceris non tam à fonte Tyrio, quàm ab Illustrissimo Tuo sanguine rubuisse. Relege prima Numina TARŁONES, RADOMICCIOS, CZARNKOWSCIOS; OPALENIOS, BRONISIOS, PONINSCIOS, DABSCIOS, OSSOWSCIOS, ZALEWSCIOS, KIERSCIOS, GAIEWSCIOS, SZCZANIECCIOS, WILKONSCIOS, ZAKRZEWSCIOS, NIEGOLEWSCIOS, CHOINSCIOS, GOSTYNSCIOS, SIERAKOWSCIOS, MANIECCIOS, & pennam à fide non aberrasse asseres. Quas verò cum ILLVSTRISSIMA CONIVGE, Nobilior Gracche cum Cornelia, fortior Vlysses cum Penelope, animosior Cato cum Martia, traxisti Domos in fœdera, manifesto idem evincēt documēto. HVNRVGII,

[a] Claudianus.

ß RVGII,

RUGII, FLEMINGII, RYDZYNSCII, BRONIKOWSCII, KORNATOWSCII, GULCZII, & centeni alii, quorum impervia Fatis viret gloria, vernant merita; uno votorum consensu, juncta animorum contentione in id conspirant; ut in summo honorum portu defixæ Patritiæ Tuæ rati festivum accinant celeusma. Quos autem, sospitandæ Patriæ, ornandis curulibus, generis humani voluptati reliquisti Filios, STEPHANUM

(Cui ratio & magnæ Cælestia semina mentis
Munere sunt concessa Deûm. Silius Ital. L. 15.)

Et VLADISLAUM

(Qui tener in Cunis jam Jove dignus erat. Ov. Ep: 5.)

Fortunatior cum Castore Pollux contendenti in altum allucebunt Navi, tam securi de Bonæ spei promontorio, quàm omni Fatorum intrepidi à scopulo. Tam dubii de scyllarum periculo quàm certi de triumpho. In quem ut Victrices conferant palmas, induxi in Purpureæ Ratis rostra Diviniores Triarios. Hi, Illustrissimi Nominis allucente Pharo in lucem producti publicam, perenni gratitudinis officio, cumulandis Trabeatæ Gentis plausibus, ampliandæ gloriæ, subjugandis honoribus militabunt. Sic appromittit & vovet

Illustrissimæ Domui Tuæ
Devinctissimus.

Josephus Boguchi S. I.

FACULTAS.

R. P. Provincialis.

STEPHANUS SCZANIECKI
Præpositus Provincialis Soc: JESV.
per Poloniam.

CUm opus, quod inſcribitur SANCTIORES TRIARII S. J. Aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint & in lucē edi poſſe probaverint, poteſtate mihi facta ab A. R. P. Noſtro, Michàéle Angelo Tamburino, Societatis Noſtræ Præpoſito Generali, facultatem concedo ut typis mandetur. Si iis ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus fidem, has literas manu mea firmatas & Sigillo munitas, dedi. Torunii 1720.

STEPHANUS SCZANIECKI

APPROBATIO.

Loci ordinarii.

IMPRIMATUR.

FRANCISCUS KAZNOWSKI

Archidiaconus Pſcevenſis,
Judex Surrogatus Poſn:

POESIS HEROICA

Sanctiores Triarii,

TERNI CAPITALIS HOSTIS, Heroici Victores

B. STANISLAUS KOSTKA, B. JOANNES FRANCISCUS REGIS, & Ven. ROBERTUS BELLARMINUS S.R.E. CARDINALIS. è S. J.

CARMEN PRIMUM.

Argumentum.

TErnos capitales hostes Christianus fatetur orbis, Heroes periclitati Triarii, sed citra periculum. Idem illis cum adversa manu congredi fuerat, quod infensam aciem prosternere. Assilientem Cerberi forma Viennæ dæmonem B. Kostka, debilis licet, forti pollice in fugam coegit. (a) *De carne palmam, Daphneamq; retulit laurum, illibata tumulo illata innocentiâ.* (b) *B. Franciscus Regis. Importunum suis favoribus mundum, industriâ sub Ignatii vexilla fuga, Medorum more superavit Ven. Bellarminus.* (c)

(a) P. Skarga in vita. (b) P. Tanner in Societate Apostolorum Imitatrice. (c) Idem.

Carmen Primum.

ITe Caledoniis sudata cruoribus arma
Arma necis proles; Stygiis conflata sub antris,
Bronciacos remorata armos, repetita Cyclopum
Tela, Giganteo toties gemebunda sub ictu;
Ebria Strymonio, Mavortis spicula, tabo
Cedite. Bisthonio rubefactum sanguine ferrum
Sub cruda Getici vagina condere Martis;
Non Memnon clypeos, obtrude nec Ægida Pallas.
Non gladios nec scuta cano, cano prælia quamvis.
Mens infracta vices clypei, manus exhibet ensis,
Quali nec Scythicus, cervices messuit heros.
Ignitos jaculans in sidera pectoris actus
Suppeditat pugili cor, pila minantia pilis.
Herculeum verò numero è construit agmen
Trina manus, centum par sternere viribus hostes.
E fastis veterum, veterum producit ab urna
Kostkus Alciden, Danaum Franciscus Achillem,
Hectora Robertus generosis excitat actis.
Vilescit Latiis pugnando Triarius hastis
Ausoniæ quo gentis honos, quo fama Quiritum
Inconcussa stetit, telis nec fracta Sabinis.
Terno lecta phalanx Victorum milite, vestram
Dum famam Lojlæa cohors defendet ab ictu
Temnere tuta potes Decios, fortesq; Camillos.
  Id dum Musa feret trans æquora, transq; remotas
Æthyopum [illegible]; dum pollice trudet ovanti
E fidibus laudes Heroum, barbitha tendes
Elogiis pia turba tuis; asperge calore
Aonio mihi corda Parens ignite, flagranti
Accendas vati meliorem pectore Phœbum.
  Nosse juvat, quæ dextra tuam Lojola cohortem
Quæ natos aggressa tuos? quo futilis ausu
Numina non timuit terrena lacessere, Divos.
Gloria quo major prostrati floruit hostis,

Hostis

Carmen Primum.

ITe Caledoniis ſudata cruoribus arma
Arma necis proles; Stygiis conflata ſub antris,
Brontiacos remorata armos, repetita Cyclopum
Tela, Giganteo toties gemebunda ſub ictu;
Ebria Strymonio, Mavortis ſpicula, tabo
Cedite. Biſthonio rubefactum ſanguine ferrum
Sub cruda Getici vagina condere Martis;
Non Memnon clypeos, obtrude nec Ægida Pallas.
Non gladios nec ſcuta cano, caro prælia quamvis.
Mens infracta vices clypei, manus exhibet enſis,
Quali nec Scythicus, cervices meſſuit heros.
Ignitos jaculans in ſidera pectoris actus
Suppeditat pugili cor, pila minantia pilis.
Herculeum verò numero è conſtruit agmen
Trina manus, centum par ſternere viribus hoſtes.
E faſtis veterum, veterum producit ab urna
Koſtolus Alciden, Danaum Franciſcus Achillem,
Hectora Robertus generoſis excitat actis.
Vileſcit Latiis pugnando Triarius haſtis
Auſoniæ quo gentis honos, quo fama Quiritum
Inconcuſſa ſtetit, telis nec fracta Sabinis.
Terno lecta phalanx Victorum milite, veſtram
Dum famam Lojlæa cohors defendet ab ictu
Temnere tuta potes Decios, fortesq; Camillos.
Id dum Muſa feret trans æquora, transq; remotas
Æthyopum arbiges; dum pollice ſtudet ovanti
E fidibus laudes Heroum, barbitho tendes
Elogiis pia turba tuis; aſperge calore
Aonio mihi corda Parens ignite, flagranti
Accendas vati meliorem pectore Phœbum.
Noſſe juvat, quæ dextra tuam Lojola cohortem
Quæ natos aggreſſa tuos? quo fatilis auſu
Numina non timuit terrena laceſſere, Divos.
Gloria quo major proſtrati ſtosuit hoſtis,

Hostis eò major de nomine palma virescit.
Non Hector celebris, celebrem nisi straffet Achillem.
Laude nec, ambiret terras, nisi vicerit Anthêum
Atrides, Libycos nisi fregerit arte Leones.
Victorum vis nosse trium praeconia? trinos
In caput elisos, primò cognoveris hostes.
Primus erat, stravit casu quem Kostka secundò.
Excoctum Stygiis, aluit sub pectore virus
Pluto focis, trux condierat quod mille venenis
Orcus, & Orciferae male congessêre sorores.
Ereptae, caecis Erebi de faucibus, atrò
Minoisq; Tribunali Ditumq; cavernis
Per socios, mentes hominum, tot, causa fuêre
Irarum, fuerant reprobi pia causa furoris.
Non sic sub Siculis exarsit Mulciber antris
Æthnaeos jaculando globos super aethera; non sic
Amentes odio, torserunt saxa Gigantes
Intentata Diis; simili nec Juppiter irâ
Allisit tremulae Briareum fulmine terrae.
Horribili Phlegeton reboavit murmure, fluctu
Insanos geminante sonos, spumante favillas,
Sulphureo Lethes, rabiem ructante fluento.
Mugierant saevis Plutonia rictibus antra,
Taenarii fremuêre foci, stridebat Avernus.
Excivit Furias dementia caeca cavernis
Gorgoneos induta pilos frontemq; Megaera,
Tartareasq; Medusa faces prae vultibus ussit
Tysiphone praeeunte ruens, quae fulmina labris
Mille vomens, fatuis turbavit Taenara dictis:
Non sumus imbelles animae, non marcida luxu
Corpora, non segnes fervent in praelia vires.
Ad peracerba feri nos pridem incommoda belli
Aptavit bene, flamma Stygis, duraverat artus
Illaesâ possint ut tela retundere dextrâ.
In cudenda, truces conspirant arma Cyclopes,

It Steropes, flammante madens sudore Pyracmon.
Si genus, ex alto deductum sanguine Divûm?
Communes superis referam: si Nominis ortus
Æacidum? mediis in cunas fluximus astris,
E gremio nos Juno Jovis, protruserat Orco.
Nec tenebræ nos clara negant fore Numina; Phœbum
Eclypsi sons umbra premit, squallentia lunam
Fata petunt, nitidum vitiat nec Cynthia numen
Principis Astrorum Titan, nec perdit honorem.
Arrident oculis simulacra corusca Deorum,
Quæ pullo pendens fuco discriminat umbra.
Turba sumus, turbare potens & sidera; vellent
Sidera si nostros temerè tentare lacertos.
Pallida decretum Rhadamanti regna pavescunt,
Horret & indomiti tellus ad Nomen averni.
Audebitne meum Lojlæa lacessere robur
Una cohors? Stygiisq; ferox occurrere turmis?
Aut subjecta nigris, subducere corpora sceptris?
Hac plures, gens furva sumus, cur tanta potestas
Paucorum? Furiisne audax, Ditine timendus
Hispanus mandata dabit, Plutone subacto?
Indecores nos illa pati, quin arma minasq;
Corripimus, justos super ignea castra furores
Fundimus, ignibus Hesperios extinguimus ignes.
Applausêre feris strepitantia Tartara verbis,
Letheum saliisse vadum ter, fertur, & unda
Cocythi geminare graves audita cachinnos,
Gannitus Acheronte vagos per stagna canente;
Tergemino trux ore canis, qui Ditis, apertas
Excubat ante fores, Stygiæ sons Janitor aulæ
Allatravit atrox, patulo, ter, dente tremendus

Arrisis

Arrisit, rabiem vultu ludente, probando.
Nullus erat terræ Phlegetontius incola gentis
Svasibus Eumenidum qui non concesserit aures.
Quo fuerit gravius, quærit consortia crimen,
Improba nutritur numeroso culpa sodali.
Unanimes in bella manus dum castra parabant
Gorgoneis animata minis, præsultor in orbem
Cerberus erupit, velut emissarius ante
Instructas acies, prodromo dum provocat hostem
Ausu, præludens totis conflictibus unus.
Sarmaticâ tenerum sensit de gente puellum,
Hic ubi turritis luctatur in aera muris
Austriacis urbs celsa plagis & sorte Vienna,
Senserat hunc inquam, Lojlæam pectore mentem
Circumferre pio; querulis contendere votis
Ignatii vexilla sequi; Tyrioq; sub ostro
Et niveis pulla fibris, clarescere veste.
Jlicet amentes, trifrons exarsit in iras
Tales Gorgoneo & voces effutiit ore:
Non me Sarmatici latuit laus inclyta Regni
Et Lechidûm mens alta virûm, nil fortius illis
Aspexit Boreas, stupuit vel Græca vetustas
(Et verùm poterant, licet invida labra fateri)
Bellonam sub fronte fovent, præcordia Martem
Spirant, Herculeas imitatur dextera vires.
Lechia quem genuit, Theseûm, vel fudit Athlantem.
Sauromatas tentare potes non vincere, tela
Spargere, non mortem validis inferre Polonis.
Ex horum medio generosus pusio Kostka
Ex horum fususq; sinu, si castra Lojlæ
Beltramidæ si signa petat, subeatq; phalanges
Reddet & Infereis invictas robore turmas
Viribus, & victor toti insultabit Averno.

 Debel-

Debellare potens, adolescat palma priusquam;
Victricem puero cum vita dempsero palmam.
Non audebo virum, nisi stravero dente tenellum.
Dixit & iratos succendit faucibus ignes
Bino funereas irritans lumine tædas.
Si putridis obstructa labris recluderet ora,
Fulgura dixisses pavidos terrere colonos.
Sanguineos, tumidum robur collegit in ungues;
Sæva in Pyrrhæos collegit prælia dentes.
Interea calidis accensi febribus artus
Casta fatigabant languentis corpora Kostcæ,
Et jacuit, steterat Lechicæ quo gloria gentis.
Arsit, læta triumphales cui sidera flammas
Instruxêre pyris, incendit numen amore.
Inde Medusæus fore languida membra molossus
Et dextram torpere ratus, properante tumultu
Irruit Alciden crudelior hydra secundum,
Irruit, at casu repetito corruit, ictus
Extirpante velut minitantis fulmine Cæli.
Vix etenim Stygium conspexit pusio Monstrum
Intentare necem propriæ, Fatumq; saluti;
Vitalem Crucis effinxit per inane figuram
Articulo cruciante canem; certusq; probatæ
Articulus virtutis erat, vel roboris index.
At monstrum deforme, levi pernicius Euro
Cessit Avernales passu trepidante sub umbras,
In tristem fur credo crucem, laqueoq; nefandus
Non temerè metuebat agi. Penetravit ut orcum,
Eumenidum tetigitve lares; latratibus Orcum
Concussit stimulante metu: *trepidate lacunæ,*
Inquit, & anguinei pallescite mœnia Ditis.
Frustra liventes Furiæ consumpsimus iras,
Tot vacuæ cecidêre minæ; nil proficit ausus
Nil armata furore manus, succumbimus uni
Quid plures tentare juvat? geminare ruinas

Cui

Cur placeat? digito me pusio stravit inermi
Dextram si tendet, vastum perfringet Avernum.
Dixit, cum nigri, pallentia numina, manes
In celerem conjecta fugam, narrata probarunt.
Plaudere victa potes Kostkano pollice, turma
Te Kostcæ cecidisse manu; pars maxima laudis
Hoc vinci, vinciri insons quo gaudet olympus.
Pellæos tu laude Puer prægresse triumphos
Bella manu, Danaûm excedis certamina, traxit
Litibus in decimum quæ Martias æmula lustrum,
Parturiunt momenta tibi paucissima lauros.
In puncto expungis cunctantia prælia, more
Fulminis, instanti ferientis robora parvo.
Herculeo cunas dotatas robore, prisca
Sæcula quid narrent? tenuis mendacia vulgi
Facta suis pretiosa jocis? tam rara vetustis
Figmentis steterat, non forti pollice pugna.
Alcidi te fama loquax, te vita vetustis
Antetulit generosa viris; si parvulus olim
Ivit Honoriades Hebrum victurus & Istrumq;
Maturo juvenis si ausu, fugientibus Afris
Concussit Libyam Stilico; victoria præcox
Pompeium te Dive canit, fastiq; loquuntur
Nil te egisse minus veteranis pusio Drusis.
Et pugnis veterum, potes & contemnere lauros;
Ludere vix alii, poteras tu vincere; Ditem
Cum nec nosse alii, poteras tu sternere; pomo.
Pollice cum reliqui, poteras tu findere tela,
Dæmonia eiicis in digito, pius assecla Christi
Et potes esse comes, nec spe falleris, olympo
Indigitat fortis Te dignum hoc nomine pollex.
Excedis vi Kostka modos, excedis & annos
Excedas æterna Puer vel sæcula laude.
Alter Te Francisce manet, lethalior hostis,
Hostis eò pejor, quantò vicinior; hostis
Intra castra latens semperq; domesticus, hostis
Omnes quem tentare pares, elidere pauci,

Hostis vafra caro, in mentem, cor, pectus, in artus
In caput hostis atrox; quando blanditur, iniqua
Sorte necat, jungens faciles in fœdera dextras
Bella parat, stringitq; cruentum in vulnera telum.
Jurat amicitiam, solidum dum spondet amorem
Substruit insidias, simulans Typhonis Osyri.
Quæ cecini documenta caro, furibunda probavit
In rigidas accensa minas, sub imagine mollis
Trux animi, in Patrem durissima'tela fovebat.
Sensit ut excelso Francisci pectore temni
Jllecebras irata suas; subtracta dolebat
Commoda blanda sibi; querulæ licuisse nec unquam
Planctibus effusis sævum lenire dolorem,
Ni vellet querulosa premi malè, labra flagello.
Lugenti similis, similis lugendo furenti
In lachrymis undante sonos effudit ab ore:
O Francisce meos nimis indignate decores
Dirior in propriam spumanti tygride carnem,
Desi[illegible] innocuos sævire ferocius artus
Parce mihi simul atq; Tibi, communis utriq;
Pæna venit, quam dextra flagris infigit acutis.
Si mea non moveant Te Dive pericula; saltem
Respectu moveare tui; quis membra Tyrannus
In sua sanguineos, atrox, vibraverat ictus?
Necq; adeo me sorte levi damnavit, honorum
Cæca parens, projecta meos ut conquerar ortus.
Inseruit mea forma Polo cum castore Phæbum
Et Cypriæ placuisse Deæ curavit Adonim.
Purpura me Regum, cingit me Principis ostrum
Exambit frenare meos diadema capillos
Nec renuo, sunt digna Ducum, mea tempora mitr
Quodsi te nostri non mollit gloria vultûs,
Terreat invictum quovis discrimine robur.

Juppiter immanes poterat fregisse Gigantes
Non carnis superasse manum, detractus ab astris
Devinctus Danaes, Ledæ devinctus amore.
Stravit Achæmenias, Geticas, prostravit & Indas
Pelleus vires, carni succumbit inermis.
Ni cladem Francisce parem sit ferre voluntas
Iram præveniens mansuetis annue dictis.
Risit ad effrenes pavido de corde querelas
Effusas Pater, opponens pia verba furori:
Vafra meos desiste caro tentare lacertos
Et mentem mollire meam; frustranea fundis
Vota, levesq; minas, vacuam spe proiicis iram.
Spicula non vereor, blandos non curo favores.
Sanctius in proprios sævire ferocius artus
Laus Regis suprema pii, non scomma Tyranni.
Rex est, qui semet, vastum non qui regit orbem.
Lethali veluti percussa expalluit æstro,
In rabiem vergente metu. Conciverat artus
Et molles in bella sinus; ducto ordine, menti
Opposuit frontem, generoso pectora cordi,
Albentes dextrisq; manus, luctantibus armis
Objecit niveos humeros, Patremq, Joanni
Joannem, fuerant idem defensor & hostis
Unus uterq; fuit, duo prælia gesserat unus.
Quid faceret Regis funesta in bella vocatus?
Arriperetne fugam? vesano cederet hosti?
Et fugiens & prompta sequens vestigia solus
Joannes idemq; fuit; certare coactus
Sponte, cruentandam generosus adivit arenam,
Pro clypeo sumpsit terrentibus hispida setis
Vestimenta pugil, Cilicumq; asperrima textu,
Armavit dextras loris & fune retorto
Cum restes nodo quinos sociasset eodem.
Sic in Idumæam victor Jessæus arenam

Stratuque carnis mirandam robore turrim
Descendit, quinum condens sub pollice telum,
Conflictûs spectator erat de sidere Numen
Et superûm pennata cohors; Cælumq; coruscæ
Intendit cupidum cernendi, lumina, stellas.
Aggressus validum repetitis ictibus hostem
Sanguineo lassare flagro, fusaq; per artus
Ausibus insanis appingere tabe pudorem.
Sparsa per astutos humeros dum fila vagantur
Et lacerant tumidas geminato vulnere venas
Francisco jam visa caro succumbere, vinctas
Tradere sponte manus; renuit sed credere victor,
Ni propriâ fractam strinxisset compede; vinclis
Ferrea jungendo stridentis vincla catenæ.
Perge triumphator frendentia corpora, nodis
Audaces frenare sinus. Te buccina, Xerxe
Majorem per regna feret; ligat æquoris ille,
Sanguinis immanes vincis Francisce procellas.
Fervens Divinæ non siste Tyrannidis iras;
Te mitem, superûm vulgat clementia Regem.
Vincere cum proprio te corpore perge rebelli
Cum victus tunc victor eris; te sanguinis ostrum
Æthereo dignum cantabit in orbe senatu.
Pro tota miles certasti gente Lojlæ
Plausus è tota referas, cultumq; cohorte.
Audierat clades sociorum, tertius hostis
Arte potens & marte ferox. Cui tota laborat
Tellus, innumeræ veniunt ad classica gentes,
Integer armatis sub signa cohortibus orbis
Sponte volat, proclivis humus mandata veretur.
Illi nec nervus numerosa pecunia belli
Non annona deest, gazis æraria plenis
Lauta tument, collecta Ceres despumat in Arcas.
Nec minor insanæ, quam frugum, copia mentis,
Non minor, ac nummi sacco dementia cordi;
Mundus erat, cujus venit vix rumor ad aures,
Collegas cecidisse suos, quibus utitur, Astra

Et superâm oppugnando Ducem, tentando modestum
Terrigenûm pectus, genios turbando viriles,
Perculsus, proprio nimium metuebat honori
Mundanæ timuit sorti; sub signa vocare,
Subjectas glomerare manus, implere cohortes
Aggressus, stipare viris vexilla, superbum
Et turmis munire latus, nutrire furorem.
Indiacas excivit opes, quæ ferre ruenti
Possent intus opem, Lyda de gente ruebant
Et picti per membra Seres; quos fonte Caïster
Quos potat Xantusq; vado, quos vortice Tygris
Alluit, & condit diti sub colle Niphates;
Auro quos Tagus, aut gemmis quos spargit Hydaspes
Argento Fortuna beat; properante ferebant
Se sub signa gradu, Fortunâ castra regente.
Adfuit erecto sub sidera lumine fastus
Porrectis super astra pilis. elatio vultu
Excedente solum, centrum quærente sub axe
Fastum ponè stetit, thesauri cæca cupido
Ac ardor vesanus opum; per mollia sparsus
Corpora, luxus iners, nitidas duxêre phalanges.
Castra præibat honor, grata præ fronte lepores
Mille gerens, & mille mitras, & mille Tyaras,
Brachia centeno rubuerunt murice; centum
Flexit sceptra manus, tercentum dextera clavas.
Spicula Dalmaticis armavit acuta metallis
Et splendore caput, flaventes luce capillos,
Hostis ut ardescens hebetaret lumina fulgor.
Interea puer Hetrusco prognatus in orbe
Carne puer, vir mente gravis, vir corde Robertus.
Divæ quem Charites, quem Diva modestia jussis
Instruxère piis, primô sub flore juventæ.
Mens casta sub fronte Polum, sub pectore numen
Conclusit cor mitе sinu; sed corde latentis
Index vultus erat manifestus numinis. Uno
Ore triplex superum spirabat gratia. Virtus
Innumera, aspectu faciē se pinxit in una.

Casta illibatis surgebant lilia malis
Et Rosa Purpureum finxit per labra pudorem.
Inviolata super violam frons blanda virebat.
Sic Divina genis pietas, ver dulce peregit.
Palma triumphales nutriverat utraq; palmas,
Hostibus & tristem digiti gessêre cupressum;
Omen inauditæ, mundo lachrymabile cladis.
Legeris Augustos, teneri si pectoris ausus
Supremis animùmq; parem, si robur adultæ
Mentis, & invictos sensus spectasse liceret?
Hectora risisses, Pellæi temnere nati
Auderes vires, Phrygii Heroisq; Vigorem,
Hic puer insidias vafri perspexit ut orbis
Versutos terræq; dolos, lectasq; cohortes
Fallere, fraude, magis doctas, quam vincere dextrâ
Insidiis uti pariter decrevit, inertem
A mundo simulare fugam; sed more Medorum
Effusâ superare fugâ. Sub sacra recepit
Ignatii se tecta celer. Mandaverat umbris
Illustres ausus, tenebris pressurus & hostem.
Nigra veste sagum mutavit, mente sagaci
Contentus, pallente togâ, velut ægide fortis.
Non obtrude tuos splendores tempte, puello
Æmule solis honor. Par quamvis fulseris astris,
Offundet Te nube velut, nigricante lacernâ.
Adversâ tenerum pugnâ nec munde lacesse,
Lugubre de pulla manat tibi funeris Omen.
Vicisti generose puer, fugiendo fugasti
Atq; cecidisti cedendo viriliter hostem.
Vix priscis notam vincendi gratulor artem
Et genium cum sorte tibi, non fulmina belli
Scipiadas, devota truci nec nomina marti
Annibalem, Fabiosve tuis æquare triumphis
Ausim, quem antetulit Ducibus victoria priscis.
Victori cedit, clari pars summa triumphi
Cum quis confessos animo sibi subjugat hostes,
Robore castra tuo mundi confracta fatentur

Se dextrâ cecidiſſe tuâ; nec terra negabit
Ad Divos projecta pedes; quin ducit honori
Lætior, innocuo ſe ſuccubuiſſe Roberto.
Et Tu magnorum, per ſidera, maxime, plauſus
Funde Pater victorum. Progenitore Philippo
Major Alexandri; natorum quiſq; tuorum
Inclyta Pellæi, exceſſit cum nomine geſta.
Felix bis gemina delatus prole Togata
Metellus tumulo, te triplex inferet aſtris
Victorum generoſa manus. Lojlæa propago
Tu quoq; feſtivos cultus victoribus auge
In ſobolem bene larga Parens; te condidit orbi
Diva ſuperna Trias; trino defendit ab hoſte
Prolis Sancta Trias, mater durabis in ævum.

* * * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * * * * *

DIVINISSIMUS KOSTKA PUER

Pater Patriæ

CARMEN SECUNDUM.

Argumentum.

NOn obſuit Sancto nigricans capillus puero, quin Patrem Patriæ ageret. Imò non unum boni adultiq; viri pilum habuit, Cæſareâ profugus urbe Viennâ, decrepitû offuſus Cæſarie. Verùm ne è ſola Pater Patriæ coma legeretur; per exteras peregrinationibus nationes excultum caput, ipſiuſq; orbis capitis Romæ imbutum conſiliis, periclitanti ſubmiſit Lechiæ, bene conſulturus à Turcis metuenti.

Carmen Secundum.

NUmam Roma Patrem Patriæ, Latiumq́; Catonem
Deſine mirari, promptoq́; aſſurgere cultu
Parcite, Bocchoro Thebæ; ſine Spartha Lycurgum
Annumerare Diis; cujus ſub lege renaſci,
Æthereâ tibi ſorte datum. Per tædia frangi
Debueras, ſeramq́; moram; vidiſſe priuſquam
Conceſſum Patres Patriæ; vetuloſq́; ſtupere
Quam Patres noviſſe prius. Longæva coquebat
Decrepita ſub fronte Parens natura. ſalubre
Conſilium, quo fracta malis, adoleſceret ætas,
Cernite pervigiles Stanslai prima Polonij
Luſtra, nec arctatos, ſenii torpedine vultus
Aut ruga graviore genas, ſed flore juventæ
Tempora, lilifero pingi candore, roſaſq́;
Fronte verecundâ, narciſſos plaudere vultu;
Ætatis ſub flore tamen, teneroq́; ſub ore
Maturos in mente tegi, ſeu pectore fructus.
Quinimò in puero, Patriæ te barbitha Patrem
Koſtka canent, flexoq́; ſinu Parnaſſus adorat
Et Lechus ſe voce Tui vult ſcribere nati.
Nobilior Lucina, Parens ſacrata, puellum
Quæ Koſtkam nutriſſe piis narraris in ulnis
Ac genium formaſſe tenellæ mentis adultum
Aſpira Vatis fidibus, fac una fidemq́;
Et Koſtkam Lechiæ Patrem, prolemq́; Polonos.
Orba tuo gens Patre Lecho depone querelas
Et luctus depone graves; non orphana, Koſtkâ
Te tutante trahis vitam, flectiſq́; Triones.
Et Pater eſt, tutorq́; ſimul. Tutoris adimplens
Officium, geris ille Patris. Dum vindice tutor
Dextrâ eſt, conſilio Patrem graviore miniſtrat.
Infandum ſub metra placet revocare dolorem
Dum caſus memorare Lechi; vetereſq́; ruinas
E tumulis efferre ſtylo, denſâq́; cohorte

Con-

Conjurata, loqui in bellaces Fata Polonos.
Non horresce tamen ferales Musa fragores,
Mitia, nec mæsti turbent præcordia casus.
Dulce mali meminisse, ferox & mæror amatur
Feridus, quem blando comitantur gaudia plausu.
Mitius obscuræ, noctis tolerantur & umbræ
Quas stipat surgens Nympharum, Phœbus ab ulnis.
Multus in exitium Patriæ, juraverat hostis
Multus in hoste furor; stygiâ furor acrior irâ,
Ira Thyesteo nimium dementior ausu.
Parte una, feriente, Daci trux Cynthia vultu,
Cynthia, Regnorum eclypsis, terrisq; nocentem
Inducens noctem tenebris, armata cruentis
Cornibus, ostendit gemino velut indice Fatum,
In gemino funestas expunxit acumine sortes.
Inconstans Fortuna, leves volitando per auras
Hanc ubi conspexit, solito variare figuram,
Et faciles mutare genas percrebriùs astu;
Majestate mea solium non dignius inquit
Prius aut aliud, justa quæ lege favores
Tenevi mutare vices; cum illustribus astris
Sic errare placet, necq; error luce carebit.
Dixit & erectos conscendit protinus artus
Opposuit quos Luna libens. Devecta propinquam
In Lechiam, solitæ primos exercuit artis
Ut faciles experta modos. Corrupit amœna
Optima, quæ nuper sancivit, fœdera Pacis.
Sic ubi turbo furens trepidis ejectus ab antris
Florentes populatur agros, nemorumq; virentem
Vi quassat pereunte comam, male concutit herbas
Quas olim Zephyri flabro coluêre repenti.
Et Fortuna pari concussit turbine gentes
Europæ quæ stagna bibunt, quæ fonte lavantur
Bachio, tumiduiq; jugo quas Orthrys inumbrat
Quas aspergit Hebrus, rapidas quas Nestus oberrat,

Odrysii sub signa volant truculenta Tyranni
Vultu terribiles, oculo livente timendi,
Velóces in bella manu; implevère manîpios
Quos Lachesis vix, falce metit, Libitina perhorret
Orcus & ipse pavet, Valacho conscripta colono
Et trucibus vexilla Getis, effusa per oras
Sarmatiæ fuerant, fluvius velut aggere rupto
Asper inundaret ridentis gramina campi.
Omnia fatali tumulo mandata gemebant
Confinis Lechiæ, casu pars nulla vacabat
Cum populis urbes, vernis cum rura vacarent.
Nulla dies fuerat, titulo donanda diei
Quâ tristè illuxit Iabaris fera Luna Gelonis
Et Lunæ Fortuna comes, male mobile numen.
Parva sed Odrysii causa vit damna Polonis
Sideris influxus, flectas si ad grandia mentem
Damna Vitembergæ Lunæ; (a) effrons accola, squalli
Tartareum sine luce jubar Lutherus, in orbem
Protrusit quæ, Leche tuum; quæq; hæresis ægro
Excoxit furiosa sinu; Arriiq; sequaces
Permistis fudêre dolis, stygioq; dolore.
Intulit ut vultus, spirans hæc fronte Megæra
Exitium. adversus pietatem fulmina mille
Ore vibrans & mille manu, quot vertice Crines
Tot scelerum sub mente fovens, sub pectore virus
Quali, nec medæa nocens condiverat herbas.
Prima in Purpureos effudit toxica Patres
Sarmatiæ, turpi vitiavit labe senatum
Atq; rubore scelus dignum subjunxerat ostro?
Et rubuêre togæ, ausum cum erubuere nefandum.
Serpebat maledicta lues, serpentis ad instar
Tænarii, cujus virus detraxit ab ore.
Et Procerum mentes, mentes infecit equestres
Nobilium, insontis corrupit pectora vulgi
Et fuerat vulgare nefas. Fædaverat urbes

Crimen

(a) *Sylva vitembergæ vicina, Luna dicta P. Massei*

Crimen inurbanum, pietate orbaverat orbem.
Deflebat sua Fata fides, subsellia Divûm
Erecto gemitu, deploravêre ruinas
Et tantum plorare fuit fas, flere voluptas.
Relligio Lechici Divinior incola Regni
Sed magna jam parte exul, super astra querelas
Transmisit, lachrymis voces supplendo, supernam
Implorabat opem, simili dans vota susurro.

O sol Justitiæ, cæci sol terror Averni
Funus & umbrarum, Fidei qui fronte serenam
Accendis plaudente diem, Te præside, nobis
Cur mandata dabit, geminato Cynthia cornu?
Constantes nos, sancta fides, non mobile sidus
Inconstansq́ regat. Tumido modo subtrahe lumen
Phæbe Pater, Stygia mox ecclypsabitur umbrâ.
Ales Patritius, sceptri quem cera Poloni
Exhibet, aptavit soli pia lumina soli
At Phæben negat ore pati, vultusq́ Dianæ.
Indiget influxu Lunæ si Lechica tellus,
Ut Lunæ formosa jubar tua Christe genitrix
Cum facili flectat præcordia Lechica regno.

Excepit blanda haud injustas aure querelas
Numen & ætherei Mater suprema, Tonantis
Fata sui miserata Lechi; *pie Præses olympi*
Format & ornat cûi sanctum clementia nomen
Inquit, flecte oculum, inflectas præcordia, gentem
Exime deliquijs, servilibus exime frænis.
Quæ didicit parere DEO, servire Mariæ
Hanc regnare decet, Stygia non compede sterni
Mancipij non jura pati. Vigil ubere Mater
Quam pietas aluit, ne depascatur Averno

Effusa Impietas, mens quam enutrivit olympi,
Terrarum funesta lues ne frangat; Erynnis
Non lædat peregrina caput, cui Patria sanctum
Nexuerat diademæ fides; non Bisthonis Astrum
Necq; Vitembergæ sons sidus, nomen inumbret
Quod sol Justitia fecit super orbe coruscum.
Dedecet obliquo Regnum succumbere Fato
Relligio cui recta basis.
Et quoniam Patres, partim trux Parca sub urnas
Jecerat, hæretico partim maduêre veneno
Nec servat Regnum, quo possit Patre renasci,
Est mihi Kostka Puer, puer annis, pusio vultu
Mente senex, mento quamvis hilarante puellus.
Candida cum Divos teneri Ganimedis honores
Ora ferant, niveum facies efformet Adonim
Surgat & è malis rapiens Narcissus amores;
Mente Cato regnat, regnat præ pectore Consus
Excitat Æmilios Genius, Brutosq; sagaces
Scipiadasq; pares & si quæ nomina prisci
In soliis stupuêre Patres. Transcendit Aratum
Consiliis, isto vellet gravis ore Pericles
Cecropidum pro gente loqui. Ratione Polonis
Alter erit Cyneas, leges probitate, Solonis
Corriget, Evagoram Lechico dabit omine sceptro:
Arguit Imperiô dignum reverentia vultûs
Splendoresq; domus. Quam non infecerat atro
Labes mæsta sinu, non obscuravit opaco
Hæresis ulla probro, (a) primæ sed lucis honores
(A

(a) Afferit & probat P. Durjewski, nullâ hæresi K[...]
Kanam Familiã laboraffe. In memoria Domus Kostkan[...]

(A prima, genti quos fudit origine Cælum)
Servant, eclypsi nullâ violabile Nomen.
Non sic Purpureis quamvis, sol claret in astris
Illustrem pro dote Polum cui Juppiter auxit.
Non hac auratis Phæbes succincta capillis,
Sese Majestate rotat; sua fata timendo
Pallet, & à tristi crebro pallore fatiscit.
Et Cælos sua Fata manent, (a) nec fulget olympo
Quod male Ferali non exhorrescat ab umbra.
Sola expers Kostkana Domus caliginis; una
Perpetuos jactare potest per regna nitores.
Hos puer amplexus, nato spectantur in uno;
Mille quot, illustres famâ accendêre Parentes.
Non tot sideribus contextus canduit axis,
Nec via, tot gremio disponit lactea flammas.
Offundet tenebris Dacicum seu sidus, obesam
Sive Vitembergæ Lunam; pigra cornua condent
Intulerit Patriis ubi Pusio lumina Cælis.
Et Phæbo cedet solium, impar lumine Phæbes.
Ut verò gelido corruptas funere terras
Et calidis viduos fidei fervoribus artus
Vitali flamma, Divi refocillet amoris
Accendatq; fibras, flammantis ab igne Lojlæ
Assumet fomenta puer. Pro fomite pectus
Ardebit meliore foco; quo dignius astris
Festivas struet ille pyras, quo sponte Polonus,
Victima Cælicolis pretiosa cremabitur igne.

Hæc Lechidis addicta Parens. Geminare favores
Auditus plaudente polus cum numine, Matris

(a) Stellæ de Cælo cadent &c.

Firmaret cum vota DEUS; nutumq; petenti
Non nutando daret.
Austriacæ tunc Kostka tener mandata Minervæ
Implebat, mentem studiis, virtute colendo
Cor illustre; piæ, probitatis viva, juventæ
Norma, lares potuit qui consecrasse Minervæ
Et Templum fecisse scholas. Suprema favoris
Concepti Regina tenax, in pulchra puelli
Pectora, demisit Divina lege probatum
Consilium: *Patris Patriæ sibi munera numen*
Devovisse, prius natus modò Patris haberi
Ignatii; fieriq; velit; sacra jura tueri
Sarmatiæ, modo jura prius Lojlæa subiret.
Quæ responsa feres votis Stanslae supernis?
Quæ Patriæ Te cura tenet? desiste morari
Hîc mora quælibet exitium est; dependet ab ore
Lechia mæsta tuo, vocale silentia crimen,
Dum gemitus trudit gemitum, lachrymæq; querelas
Expediunt, labiumq; tacens in vota lacessunt.
Non hæc Thessalius suspiria torserat Æson
Anxius Argolicam opperiens in littore navim.
Non simili Eurydicen flammâ revocabat ab orco
Orpheus, Infernum demulcens pectine Ditem.
Quâ, tua facta malis, effata Polonia anhelat.
Nondum voce Pater Patriæ, jam munere, rupit
Kostka moras, nec lingua suum, jam dextra peregit
Mitis opus. vacuis non Vocibus ora fatigat,
Corde favet, teneroq; Patrem qui præbet amore.
Nominis assumpti numeros impleret ut omnes,
Maturâ genium status ratione poliret,
Quidquid & orbis habet laudabile, regna salubre,
Sarmatico totum id Stanislaûs adderet orbi
Externas lustrare plagas perrexit; Amisis
Quæ rapidis vallantur aquis, quæ littora Rheni
Et Mæni ripas Germano vomere lassant;

Itali-

Italicoq; Padi fontem de flumine potant.
Sacra velut, carpebat apis, quo impleret avitas
Lechiadum ceras, casus condiret acerbos.
Sic tener ambivit Theseam Tullius urbem
Sic pede sollicito fertur petijsse Lycæum
Cecropidum, documenta vigil quo excerperet, urbis
Post Pater Ausoniæ; Latii in tutamen honoris
Dissidiis fessæ libertatisq; levamen.
Sic morem gessisse suis ut numen ab astris
Advertit Kostkam placitis, solerter adulto
Exuere ingenio juvenem, spirare crepantem
Docta tusse virum, mentemq; offundere cano
Judicio, *pateat populis, est qualis ab intus*
Kostka puer, dixit, ne contemnatur ab orbe
Consilium teneræ frontis, nigriq; capilli
Quæritur in senibus quoniam ratioq; modusq;)
Ingenium, induat albentes frons florida crines.
Dixit, & assiduò nivei, tractabile Kostcæ
Per mentum serpsêre pili. Pater optime salve
Kostka Lechi, melius Te candor inaugurat iste.
Sit sua delectis ad honores, candida vestis
Splendori Ausoniis, persæpe nigerrima pectus
Ressit culpa, togæ niveo mentita colore
Candorem; te jussa boni coma casta fatetur
Dive viri tenuisse pilum.
Non sat Theutonicos fuerat novisse triones,
Non satis, infracti mores spectasse Sicambri
Sollicito juveni, Patriæ capturus amicum
Consilium, caput orbis adit monumenta Catonis
Et documenta Numæ, veneranda Statuta Metelli
Pompeij genium visurus, & ipse per oras
Sarmatiæ, probitate Numam, salvante Catonem
Consilio, acturus forti vel corde Metellum.
Egressus volucri septenos poplite colles
Commiscent qui colla Polo, superavit in astra

Exporrecta mente jugum, scopulosq; tumentes
Excessêre humili, pueri præcordia Sensu.
Dum sibi conformem perquirit in urbe Palæstram
Et lustrat fervente lares dum lumine, discat
Quêis Patrio prodesse solo, labensq; tueri
Imperiumq; fidemq; oculis sacra tecta Lojlæ
Obvenere, simul memori veneranda Parentis
Divinæ mandata, superna Deiq; voluntas
Fixa stetit menti. Facilis probitate Puellus
Hæc votis sit meta meis, sit terminus, inquit,
Has Pietasq;, Fidesq; salus has incolit ædes
His crescunt plauduntq; superba Penatibus astra
Virtuti connexa; domum hanc sapientia flectit
Et docuit, quæ regna stupent, quod pallet Avernus,
Finis huic, votivè alienam velle salutem
Et mihi Sarmaticam, toti dum consulit orbi
Sancta parens, regno natum satis instruet, uni,
Dixit & Andreæ vocalia nomine tecta
Lætus init, tali sub Piscatore Magistro
Fausto Tymothei, Fortunam in retia, more
Pulsurus Lechiæ, post piscaturus & orbem.
Discite, qui sobolem Lojolæ castra sequentem,
Igniti clausos qui natos æde Parentis
Jacturam Patrii falso censetis honoris
Patritiæ vel damna domûs; munimina gentis
Et columen famæ fore, Kostkâ discite teste.
Maius dat pretium Conchæ, quam, gemma, recepit, [
Exornant Matrem lactentia lilia glebam
Et Rosa Pæstanos cocco superinduit hortos
Cum Patrio surgendo sinu prorumpit in astra.]
Optime id ætherea didicisti Lechia sorte
Kosikam experta Patrem, egressum confinia regni
Purpureæq; domus præclusa repagula (vastum
Affectum in Patriam, Lechicus non ceperat orbis)

Æmilium celebrem, Decium vel crede potentem.
Qui haud poterant melius Patrio prodesse decori
Quam, Latios extra, fortes pereundo caminos,
Fata Chocimiacis bacchantis nuper in agris
Principiis pulchrâ sed lege extincta sub ipsis
Fronte voces memori, devinctâ mente revolve
Exitium sceptris certum incubuisse Polonis
Et tumulum solio, libertatiq; catenas
Bithoniam tristi dextram mucrone minatam,
Et conjuratum liventi fædere Martem
Odrysium, in Lechicum Nomen, Numenq; supernum.
Sola fuit fractæ spes, desperare salutem;
Gaudia sola, feros lachryma mollire dolores.
Vix tot cæruleo cineres sub marmore Nereus
Hercyniis vix tot frondes latuêre sub umbris
Exciit effrenes quot trux sub signa phalanges
Bisthon, & Euxini produxerat accola Ponti.
Viderat extremam Latio de colle ruinam
Kostulus, & Fato Patriæ indignatus atroci,
Consilium maturè ut providisset egenti
Misit ab Ausonio proprium caput Orbe; timendum
Hosti, festivâ Lechiæ ratione colendum.
Cervicem tumidam qua Carpathus auget olympo
Et se se mediis infusus quærit in astris;
Finibus illatum Regni, venerabile pignus
Vix stetit; ad casum vergens jam, Lechus acerbum
Substitit erectus, violento restitit hosti
Inq; fugam vertit quem fors fugisset; adegit
Pacis in optatæ votum; qui ferre tributum
Ambiit, incolumes potuit nec ferre maniplos.
Intentabat atrox Lechicis qui vincula collis,
Affusus Lechicis se obstrinxit fædere plantis.
Et capitale fuit, tulerat quòd vertice Kostka
Subsidium, caput esse spei quis deneget? Istam
Ut solida fixisse basi posuisset; acuta

Jn Petri, solium voluit defigere Petra. (a)
Sic velut ad scopulum allidentur tela nocentum
Atq; elidentur. Melius procerus ab alto
Prospiciet Patriæ; fluctu de culmine, pleno
Largus inundabit submissum protinus orbem
More relabentis, vastis de montibus imbris.
Succumbat ne Sancta fides Petrina per oras
Sarmatiæ, misêre caput quod consulat, astra.
Ergo Pater Patriæ, ruituro consule Regno,
Exacue ingenium, quo defendatur acutis
Casibus; è Petra Divinas elice flammas
Quæ fervore fibras accendant; igne tepentes
Comburant, Sancti mentes in victimam amoris.
Quem præfers noscat proles votiva, Parentem
Stanislae, salus sis nomine & omine natis (b)

(a) caput hoc illatum, eo ipso tempore Poloniæ, quo Turca ad Chotimum fuit coactus pacem petere, donatum fuit Templo SS. Petri & Pauli Cracoviæ S. J. à Sigismundo III. Rege.

(b) Stanislaus, anagrammaticè: Natis salus.

* * * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * * * * *

DIVINISSIMUS
KOSTKA TYRO,
Pater Provinciæ Polonæ Soc: Iesu.
CARMEN TERTIUM
Argumentum.

Patrem Patriæ egit juvenis, Patrem Provinciæ Polonæ S. J. exhibuit Romanus Tyro. Veteranos

Nov.

Novitius, Patres verus Ignatii prægressus Filius. Proprium, in primam Polonæ Provinciæ basim P. Stanislaum Varszevicium suum in Tyrocinio comitem, altum quo erigeretur, solidum quo inconcussa staret, transfudit spiritum. Spiraculum dixerim, quo piorum concepta votis Societas in Polonia, animaretur.

Carmen Tertium.

(a)

SAncta domus, cui numen herus; cui nomen olympus
Commodat, Ætherei quærunt tellure Quirites
In proprios transferre lares; quâ crescere virtus
Gaudet, & Astriferos vultu exæquare Penates.
Quæ sub Apostolico Andreæ fortissima dici
Nomine, non vacuo laudis sermone mereris;
Temne Corinthiaci plausus & jura Cranei (b)
Prisca nec invideas Pritaneo (c) encomia, festis
Quo Musæ saliêre choris, doctrina coruscos
Per famæ lituum, geminabat læta triumphos,
E truncis poliendo viros, de stipite Phæbum.
Evolvunt majora tui miracula Fasti
Dum leges, dum sancta ferunt exempla. Lacerna
Dum pallente sinum, teneros dum condis & artus
Pingis canitie mentem, prolemq; Lojlæ
Formans, maturos Patres das gentibus; alto
Quorum judiciò cupiant & regna renasci.
Prima tibi grato Provincia pectore votum
Lechica persolvit, fundendo in carmina cultus
Quos nec mens devincta satis, nec concipit Enthêus,
E gremio dum nostra tuo depromet adultùm
Suada Patrem Kostkam, nos tanquam pignora matri,
Et Matris teneroq; tibi constringet amore.

(a) Allocutio Domus Probationis S. J. Romanæ.
(b) celebre Gymnasium Corynthiacū (c) Atheniense

Tu verò Tyro, Tyroni maxime, pennæ
Annue, maturis inadultam perfice gestis
Posco chelym. Phæbo sanctas de pectore flammas,
Affunde, ardebit totis in vota medullis.
Vix bene Cæsareâ felicior exul ab urbe
Mensus Germanos pernici poplite fines
Fixit in æde pedem, sanctæ quæ conscia famæ
Ignatii, primos nutrit penetralibus ignes
Cælesti fervore focum flammante; stupore
Fixerat ædicolas virtutes, Numina terræ.
Nec se cæperunt, caperent cum limine Kostkam.
Hic proprias pudor ore rosas, sua lilia candor
Miratus præ fronte stetit, castissima vultus
Hos confessa suos stupefacta modestia, pectus
Edixit Regina suam prudentia normam.
Hunc Plato, ideam sub Lunam ferret amoris,
Ni sol Justitiæ, puerum possederit olim.
Sic angit dum corda stupor conjunctus amori
In certamen itum fuerat, cui pusio Nomen?
Cui daret obsequium, sanctum cui pignus abiret?
Quæ fragrante foret virtus præ fronte locanda?
Ambit jure suum speciosa modestia, candor
Ambit, & ipse pudor documenta illustria causæ
Produxit, Kostkamq; suum probat esse clientem.
Jam præ fronte aciem candor, præ pectore struxit
Integritas, certabat amor, vincebat utrosq;.
Arbitra, virtutum Mater prudentia, *cessent*
Prælia Martis ait, meliori fædere vobis
Kostkam obstringetis; citius mens novit honesta
Flecti pace, gravi strepitûs quàm fulmine frangi.
Partiri tenerum virtutes parcite Kostkam
Vester totus erit, pars sufficit omnibus una
Unus & omnis habet Divæ compendia laudis.
Hic simul est prudens candor, pudor atq; modestus
Hoc

Hoc fervens pietas, pius est & pectore fervor.
Tyronis fervor, cani est Prudentia Patris:
Hæc dixit Mater, Stanslai vita probavit:
Jlla in parendo justæ prudentia legi
Obsequiumq; coquo, certa sub lege jubenti
Ferri ligna foco; socii majora ferentis
Fervorem excessit, proprium non obruit; Jlla
Composito vultu descripta modestia, scripsit
Angelicam mentem humana sub carne latere,
Hanc quicunq; sacro sociorum lumine cinxit
A Phæbo veluti concepit pectore lumen
Ut solet alma Jovis libato à sole volucris.
Ardentem pueri accenso sub corde Vesevum
Orbis in exitium fervor devotus alebat.
Sanctior & prisco, hoc Plinius flagrabat in igne.
Præ facie, niveoq;micans præ pectore candor
Pinxit ad exemplum, effigiem lactente colore.
Et fuerant cum mente genæ, candoris imago.
Discere candorem fuit, illam cernere: fixi
Per rimas oculi, vigiles penetrabat in artus.
Advertit Regno Pietas addicta Polono
Et genti Patris pietas addicta Lojlæ
Hoc sub Patre, inquit, Provincia Lechica crescat,
Grandia de parvo capiat primordia Kostka.
Hic bene per Lechidûm fundet præcordia, flammas.
Ignatii, prior ipse suis quas molliit ulnis.
A Cruce Patritiæ manent si exordia, faustum
Omen erit, signo hoc cæptis benedicet olympus.
Hic bene Sarmaticis Nomen JESU inferet Oris
Ipsum, qui tractare sinu bene novit JESUM. (b)
Nec legum turbâ vastisq; ambagibus orbem
Involvet, lex vultus erit, de fronte legetur

Proto-

(b) Viennæ Christum Beatissima in manus ægri Kostcæ deposuit teste P. Młodzianowski in conc.

Prototypus morum, vivendi regula, vita,
Tot leges, quot gesta ferens imitanda. Movetur
Nobilius factis, scriptis quam legibus orbis,
Et methodo meliore suos facienda docebit
Qui prior ipse facit.
Audiit hæc Tyro, pridem superavit adultâ
Decrepitos qui mente Patres, nec vana faventis
Vota videns pietatis ait: *Parere supremis*
Quis renuat jussis, totis mihi fixa medullis
Hærent, effectu nunquam frustranda petito
Est eadem Ignatio Patri si lecta voluntas
Filius in Patris votivus jussa volabit.
Lojola assersum, Pietas testata triumphum.
Perge puer Patrem testari munere, qualem
Hector nec Priamum, expertus Telemachus Ulyssem.
Aurea nascentur nobis Te sæcla Parente
Saturno veluti quondam genitore Chironi.
Incipe iurato quod lustra calentia voto
Implorant, fessus gemitu quod Lechus anhelat.
Extrahe ne, queruli suspiria flammea cordis,
Crudelis, sperata, nimis qui gaudia differt.
Kostka cui melior coluit clementia pectus
Et Charites aluêre sinum, differre negavit
Anxia, vel longo labi suspiria questu.
Opportunâ sorte Comes Stanslaus ab orbe
Sarmatico Varszevicius, puero additus, ædes
Venerat, & leges Lojolæ amplexus easdem.
Theseus Alcidi, Pylades convixit Oresti.
Nomen eo nactus Stanslai, gesta Patrono
Digna Stanslao, propriæ virtutis, in artus
Semina mittebat, Socii; queîs surgeret alta
E radice, parata Lecho Provincia, magnæ

Sic Agorantum Phydias adamasse notatur (a)
Propria sub Parii vulgando nomine gesta.
Innumeræ documenta puer probitatis in ore
Scribebat, comiti factis & mente legenda.
Maxima cura fuit Kostkam plantare secundi
Sub Stanislai gremio, mentemq́, Polono
Lojolæ implantare solo, vivamq́, futuris
Linquere, Stanslai comitis præ pectore, legem.
Hic Kostcæ conatus erat. Quæ verò Studentis
Stanslao Varszevicii? quæ cura, quis ardor?
Non hæc Milciadi certantem laude, perussit
Flamma Themistoclem, (b) non hoc flagrat æmulus igne
Cæsar Alexandri, [c] puer aut Pellæus Achillis, (d)
Quo caluit Studio Kostkam formare per artus
Et mentem Varszevicius; præcordia, cordi;
Palpebra pupillæ, menti mens, ora labellis
Palmis dextra, genis vultus, totiq́, Magistro
Jam totus conformis erat Stanslaus. Apertum
Dixisses speculum mores perhibere docentis.
Non sic profecisse tuo Trajane Plutarcho
Non Senecâ truculente Nero, non Marce Cratippo
Diceris, aut Lyci sub præceptore Mirone.
Id bene non dubio Provincia tota fateri
Ore potes, Varszevicio cunabula Patre
Quæ primi post Fata Patris prægressa, Polono
Sub sceptro, ivisti celeri sub Sidera passu.
Quid referam Petrum, non vano nomine Skargam?
Edo-

(a) Phydias Statuarius Agorantum Parium discipulum suum adeo dilexit, ut nomen ejus suis operibus plerumq́, inscripserit Ravisius.

(b) Themistocli Atheniensi Milciadis trophæa somnium excutiebant. (c) Julius Cæsar cum Gadibus ad Herculis templum, imaginem Alexandri M. aspexisset, ingemuit, quasi suam perræsus ignaviam, quod eò non attigisset. (d) Alexander viso Achillis sepulchro, æmulatione accensus, collachrimari cæpit.

(Edomiti meruit qui audire querela Charontis)
Non pridem functi cineres fervore calentes
Qui Kostcæ nactus, pueri vestigia planta
Ingressus, mores genio sectatus alacri
Hausit ab ardenti, vitæ documenta favilla
Et sanctam mentis sortem deprompsit ab urnâ
Exul ab Jliacis Æneas junctus Achati
Triste plagis, Latio jecit fundamina Romæ,
Non Rex Ausonidûm, Patria nisi pulsus ab urbe.
Extra Sarmatici progressus climata Regni
Exul honoratus Stanislaus Kostka Polono
Fundavit Regnum Ignatio sub Principe, mundo.
Quod velut Æneas, veluti conjunctus Achates
Skarga Petrus Varszevicio, de gente Latina
In Lechiam reduces, Patrio inseruere Trioni.
Patrum plaude Parens Kostkâ Provincia Patre
Funereis exempta malis, secura perennis
Famæ, liventi non succubitura ruinæ
Si primam Kostcæ soleâ solidavit olympus
Plantam, supposuitq, Cruces, fulcimina trinas.

TRIUMPHALES PYRÆ
Victrici menti Stanislai,
In corde accensæ.
CARMEN QVARTUM.
Argumentum.

Victori Orci in Cerbero, domitori mundi in honoratis opibus Stanislao, Victriciq; menti, instruendo applausum sidera, Triumphales ignes fla-

flagranti amoris incendio pectore excitarunt. Rei ignari sodales, opprimendis flammis aptas adhibuerunt telas, pleno madidas fluctu; At ego nutriendis aptiores, integros Castalios affundo fontes.

Carmen Quartum.

PLaudere perge puer, victrix mens perge triumphos
De victo geminare solo; tibi sidera festas
Accendunt sub corde pyras, Quo exureris igne
Jlle triumphales irritat in artubus ignes.
Pierio succende Parens ignite, calore
Pectora, sub cujus signis prostraverat orbem
Pusio, promeruitq. sacros certando triumphos.
Pugnasti generose puer; quot lustra, quot annos
Hostes tot nactus. Mundus, Fastigis, fama,
Jllecebræ, gazæ, cinctum splendoribus aurum,
Et Patrum cum gente domus, cum sanguine Frater,
Cum ditione caro; certamina dura struebant
Divitiæ molles, molles in amore Parentes
Saxea, duritie superabant tela, rigentes.
Et fragile obryzum, quamvis sit inutile bello
Jnduerat crudum funesta in prælia ferrum,
Fama loquax mundum, lituos inflando, ciebat
Ut Mars bella solet strepitu producere rauco.
Vasta domûs ditio, roseo domus alta senatu
Ex opibus quærebat opem, illecebrisq, cohortes
Implebat versuta caro, caro pessimus hostis
Ipsaq, tela caro, caro mucro, spicula, ferrum.
Tendebant vires virusq, in bella furentes
Et furor effrenatus erat, quo Pentheus (a) amens]
Aut stultas Athamas (b) non exarsisset in iras.
Pugnabant contra tenerum tot monstra puellum

Gem-

(a) Pentheus Rex Thebanus furore correptus etiam Divina contemnebat. (b) Athamas pariter Thebanorum Rex in furore Learchum Filium pro leone occidit sagittis.

Gemma procellosis veluti quateretur ab undis
Lugubris aut solem tenebris invaderet umbra.
Vincebas sed Kostka puer, feralior hosti
Pugna, tibi facilis fuerat victoria, tristis
Hosti cupressus fuerat tibi palma, rubore
Tincta hosti facies fuerat tibi Purpura, Martis
Prælia, Fortunæ fuerant tibi præmia; grandis
Fama fuit puero, domitis infamia turpis.
Jllecebræ molles, gelido riguêre pavore
Et dites gazæ, Ditis fugêre sub antra,
Conderet Astra puer cùm paupere Kostka lacernâ.
Arserat accensum calida quod nuper ab irâ
Poplite sub Kostcæ tremefactum expalluit aurum,
Argentumq; timens. Patrias geminando querelas
Spreta domus. planctu, plausus geminabat ovantis.
Nam Polus arrisit Kostcæ, cum fleverat orbis.
Cum Frater, fleretq; Pater, flerentq; sodales
Tunc Pater Omnipotens repetebat gaudia Cælis.
His fuerat puero victoria parta trophæis;
Sed quâ parta manu? qua desudante cohorte
Quo gladio? suffulta quibus perimentibus armis?
Alcidis num clava, chalybs num Noricus, ense
Ersenii (a) num cincta manus demessuit hostem?
Gnossia num strictâ straverunt cuspide tela?
Mens victrix? mens mucro fuit, mens prælia gessit
Conseruit mens alta manus, palmamq; recepit.
Mentis mundus inops, expers caro mentis adultæ
Maturâ fuerat superanda à mente puelli.
Æternis numen, quod frænat nutibus orbem
Fataq; Terrigenûm sancta speculatur ab arce
Et Stanislai vigilanti lumine bella
Vidit, & illustri certamina digna triumpho,
Agnovit. Meritos Kostcæ post prælia plausus
Assignans, *Kostkâ potior queis victor in oris*
Inquit

(a) Ersenius nobilissimus Gladiator de quo adagium Ersenius cum Pacidiano.

Inquit, quo sub sole stetit? non Hesperus, illi
Sole cadente parem, similem non viderat Auster
Eoæ nec sceptra, plagæ; non Pharsala tellus
Conflictus experta pares, non clade Darius
Pellæo victore, pari deletus arenâ;
Quâ Kostkâ vincente solum, qua concidit orbis.
Hostis ab effuso tabo meruêre triumphos
Ausonii si quando Duces, de sanguine Patrum
Quos non promeruit contempto, pusio plausus?
Vivaces si Roma tulit de morte triumphos
Hostibus inflicta? de strata morte puellus
Quos Stanislaus non promereatur honores?
Priscos, quos summâ vincendi laude præivit
Victores, Romam plausurus Kostka, sequatur,
Recreet & Latios pompâ meliore Quirites.
Dixit & Ausoniam, victorem numen in urbem
Excivit. septemgemino præ colle parando
Venturo plausus, & magnum nomen eunti.
Austriaca vix fronte, pedem movisse, Viennâ
In Latium visus, præcessit Regius (a) ales
Qui fecit vicisse Jovem, qui nuper ituris
In plausu Romam Ducibus, dum prævolat, alti
Pompeiis, Fabiisq; fuit pars summa Triumphi.
Augebat tractus comitatum compede mundus
Stanislai post terga gemens; & Patria lætas
Fuderat in plausu voces cum Fama doleret
Et *Kostkam* amissum, amissos & gentis honores.
Sic hostes vincti gemitu condisse feruntur
Festa triumphantûm præconia; lachryma quævis
Gemma fuit, qua grande Ducum diadema micaret.

C Ad

(a) Pater Bielicki in Conc. tradit aquilam præducem aco Viennâ profugo.

Ad faciem plausus illustrandumq; triumphum
Sola videbatur victori flamma deesse
Jllustresq; pyræ, quas olim Roma triumphans
Struxerat, erecto pretiosis frondibus igne.
Æthereo fervore calens, nec frigidus hostem
Qui stravit, læto victor celebrandus & igne
Numen, ait, pascant flammam quæ corde sub imo
Est victrix & palma, sacræ sunt pacis olivæ
Expers Fatorumq; cedrus, de insontibus ulnis
Angelicoq; sinu, vitæ consurgit & arbor (a)
Qualem nec sanctis aluit Paradisus in hortis.
Numinis ad nutum calido sub pectore Kostcæ
Exardere pyræ, Divi exussere nec artus;
Mosaicos velut ante pedes, rubus ignibus olim
Flagraret, nec conflagraret; ferre coruscum
In gremio Numen fervens, nam visus uterq;
Perge triumphalis nutrire incendia, fibra
Et lætos flammare focos, tibi Dive coruscæ
Applaudant ut corde pyræ prolixius, igni
Proijcio cor Kostka meum.

a Christus in manibus Beati à Beatissima depositus, arbor vitæ.

SUBLIMIS
D. KOSTCÆ ANIMUS,
Inter humilia Dilingæ obsequia.
CARMEN QVINTUM.
Argumentum.

H*umillima & abjectissima Divinissimi Stanislai,*

inn

in Dilingano convictu obsequia, excelsum animum, sublimem non depresserunt, quinimo erexerunt mentem. A subvolante flamma culinæ, didicit generoso cordi centrum in astris defigere; per ollarum cumulos, cacaborum strues, per gradus veluti, Sidera scandere, animosior inter lachrymandos Coquinæ fumos, quam alii Fumosas inter majorum Imagines.

Carmen Quintum.

EXcelsæ mentis magna est submissio Mater.
Frons humilis, facilem Cæli fastigia mentem
In suprema vehit. Tetigisti vertice numen
Demisso, terræ subiisti ubi pectore fundum.
Gemma sub æquoreis humilis, tumulata procellis
Quam pretium sublime gerit? sub mole sepultum
Caucasea, summo celebratur honore metallum.
Alta petit, trahitur quia pondere palma, deorsum.
Hoc inter despecta negotia, Kostka Dilingæ
Inter & abjectæ docuisti gesta culinæ,
Mente super terram, super & porrectus olympum
Obsequium cum vile, manus artusq; gravaret.
Id dum Musa tuo supplex cantabit honori,
Condi humilem svadam, sublimi postulo mente.
Ut pia laxavit Divino fræna Calori
Ad metam properando puer; per regna volabat,
Lassatæ votis menti, quærendo quietem
Ut solet ad nidum volucris defessa volatu.
Jecisses si tela viis, si callibus ignes
Ivisset per tela puer, superasset & ignes.
Terruerant minimè plantam mergentre procella
Flumina, stridebant rapidis cum fluctibus undæ,
Ridebat sed Kostka minas; vix poplite visus
Attentare vadum, riguêre in marmora lymphæ
Miratæ forsan magni vestigia Kostcæ.

Qui calcavit opes, terras calcavit & orbem
Pro Christo, victor fixas calcavit & undas.
Perrexit velox, vitæ qui quærere fontem
Exanimi hâud potuit terreri Kostka fluento.
Currit Pegaseo velut actus in aëre dorso
Aut velut ala pedes Per ëi (a) festina juvaret
Rideo Phædimi (b) passus, volucremq; Dimantem c
Imparis haud Euro gressus contemno Camillæ d
Ad metam te sancte puer, cum cerno volantem.
Promptus ut Austriacas cursor trajecerat oras
Thêutonicos ingressus agros, occurrit cuncti
Urbs Augusta, soli facies Augusta Sicambri,
Germanæ decus omne plagæ, quæ limine Petrum
Canisium clausit; potuit qui ducere Kostkam
In portum, naviq; furentis ab æquore mundi
Devehere in littus, sanctæ annumerando cohorti
Ignatii, ridet Ponti quæ tuta procellas.
Vix Patris Aspectum tetigit, vix tecta subivit,
Tecta sinu Numen, gremio servantia Cælum;
Tot de sideriis fractus, tot onustus anhelis
Questibus ad Petri plantas puer accidit; isto
Casu, nobilius consurrecturus in Astra.
Ad Petri plantam, plantam fixisse beatæ
Intendens vitæ, hac acuit suspiria Petrâ.
Quæ tunc flagranti arserunt sub pectore flammæ?
Angelicis quæ vota fibris? quæ verba ferebat
Verba videbantur, flammæ non verba fuerunt.
Meta meis promissa viis ajebat anhelo
Spes toties quæsita gradu, te corde, medullis
Te manibus, gremio, cupida te mente tenebo.

Tu

(a Perseus in Medusam certaturus à Mercurio talaria & ensem commodaverat, sicq; per aera ferebatur. b Celeberrimus in Ithmiacis cursor. c Alipedumq; fugam prægressus equorum ante Dimas. Statius. d Regina Volscorum celerrima, vide Virgilium infine Lib. 7. Æneidos.

Tu mihi post tenebras Phœbus, post noctis & umbras
Læta dies, Ponti post mæsta pericula littus.
Exime mærori frontem, nec gaudia differ,
Absq; mora quæ ferre potes; concede Parentis
Ignatii pietate frui, Divosq; corusca
Heroas virtute sequi; velamine nigro
Innocuas nutrire nives, sub Patre beato
Terrigena, æthereum nasci non abnue Civem.
Svasit id alma Parens, numen persvasit amicum
Quod peto, consensum toti non differ olympo;
In Petra, profugæ volucri da Petre quietem
Hæc mistis lachrymis manantia verba, faventi
Excepit bonitate Pater, non inscius altæ
Mentis, & in superos solidi bene gnarus amoris;
Ut tamen expertum faceret sibi tutius ausum
Majoremq; famem puero irritasset, anhelas
Decrevit differre preces, & vota morari
Ut mora, perspectos mores fecisset; in igne
Innocui pretium sublime probasset ut auri,
Ad Dilingani convictus, vile coquinæ
Flexerat obsequium Kostkam. Non retrahe passus
Sancte puer, flagrans humiles i Phæbe sub umbras;
I sub Neptuni pretiosior Unio fluctus;
Clarior edomita Titan de nocte resurges
Gemma exempta freto æthereæ infigere Coronæ.
Ivit ad insolitum facilis sibi, Kostka theatrum
Iret ut ad solium Rex invitatus apertum.
Stiparet cum fida Comes demissio mentis
Stanslai conforme latus, comes ibat & ardor,
Ardor Germanæ ferventior igne culinæ,
Et contemptor opum, Patrii contemptor honoris
Stillabant excelsa humili præcepta puello,
His cinctus, præfixa sibi vix atria visit

Visit vix tenues Sociis, operâq; Penates
Amplexu stringente tocum dignatus, eunti,
Occurrit qui fortè prior, ter basia fixit,
Numinis ad gustus utinam mea facta superni
Tu condire velis, dixit, coque labra, medullas;
Ne quid Canisius crudum hoc advertat in ore.
In madidam ter lapsus humum, ter dixit amicum
Salve, *promissâ tellure beatior, atq;*
Cordi, Idumæis salveto salubrior agris.
A Te, defesso liceat depromere vires
Obsequiis, hausit fractus velut Antheus a *olim.*
Promptus ut à terra, flammantia membra levavit
Perq; obscuram oculos alacer circumtulit aulam.
Offusus caci, pigra caligine fumi
Non fumosa mihi placet, inquit, imago Parentum,
Non ceræ Proavûm, hac meliùs fuligine splendet,
Illustres quisquis, tenebris mandavit honores.
Cum dextras operi, faciles artusq; pararet
Expeteretve coqui cupidus mandata morantis;
Vala pias mirata genas, arsêre puelli
Insveti desiderio, stupefacta negarunt
Se vidisse parem, Regales limine vultus
Boleslae b tuos quamvis clausisse feruntur
Carolomane tuos, quamvis coluisse nitores.
Angelici impigrâ succensa cupidine Kostcæ
De pueri certasse manu, gremioq; leguntur,
Quod priùs innocuis attrectaretur ab ulnis
Impleretq; sinum? Numen quem complet & astra.
Cacabus in medias satagebat repere palmas

Trulla

a Antheus Gigas in Libya, cum Hercule congressus, quoties ab eo terræ allisus fuerat, toties novas vires hauserat. Terram matrem suam censebat.

b Traditur à sarnicio, egisse pœnitentiam in cujusdã cœnobii culina in Hungaria.

Trulla calens ambire latus conspecta, lebetes
Assultum toto quærebant agmine; vafræ
Sed scopæ digitos pueri insiliere priores.
Queis jussus terrâ stertentes verrere sordes,
Sparsaq; disjectæ compônere scruta culinæ,
Tractavit tenues festivo pollice frondes,
Ut, Ducis illustres tractarent brachia clavas.
Concussi Cineres vacuam volitando per æthram
Kostcæ humiles gestus mentemq; sub astra ferebant.
Cum jactarentur, scribuntur scruta salire
Et plausisse solum, sanctos jactando labores.
Purgandis ferret cum fortè lebetibus ulnas
Ad plantas pueri, projecti sponte cadebant
Temnere ne turpes vellet, fuligine vultus.
Nec tempsit, magni capiens sed muneris instar
Sceptra velut, reliqui, complexus Kostulus, ollas.
Quidsi Germanæ squallentia tegmina plantæ
Sed Kostcæ detersa manu, memoravero? magno
Majorem Kostkam terris vulgabo Joanne
Solvere corrigiam, fœdaq; absolvere labe
Qui potuit plantam, & deformia pondera plantæ.
Hæc Stanslae manu versasti, hæc svavibus ulnis
Degenerûm portenta operum; quis crederet unquam
Kostkarum de gente Pater? de gente nepotem
Kostkana, sub hara vilis latuisse coquinæ?
Cui Proceres Sellas, Fasces Fortuna parabat.
Ne tamen inde gnare domus Kostkana; nec ullam
Excelsæ Proavûm menti, meritisq; supremis
Crede humili de prole notam vel crimen inuri.
Excelsos animos vili non exuit aula
Kostka puer, gremio generosos nutriit ausus,
Ausus ad abjectos se mittere pusio gestus.
Non hanc Purpureo mentem sub corde Joannes a
Kostka decor Sandomiriæ, pretiumq; Curulis

a Palatinus Sandom. post abscessum Henrici Valesii fuit candidatus in Regem. Tykowski.

Gessisti, cum summa solum tibi sceptra Polonum
Deferret, Regemq; suo contenderet orbi.
Non hanc Præsuleis aluisti Paule a Tyaris
Aut Roseâ gens prisca togâ, quam veste sub atra
Et caulâ squallente meus vesterq; fovebat
Pusio. Surgenti didicit sub sidera flammâ
Sublimi fronti, centrum defigere in astris.
Scintillas quot ab igne focus, projecit in auras
Alta tot æthereum suspiria, Kostka sub axem
Effudit; fragiles ollæ, lotiq; lebetes
Vasaq; continuis cumulata laboribus; apti,
Kostka, gradus fuerant tibi Cælos, mente petenti.
Jam Stanislae tenes, querula quod voce, quod ore
Quærebas quod corde humili, quoq; surrige mentem
Demissam, quam sterno tuis cum pectore plantis.
Mens, hac plantâ humilis, Cælos succrescat in ipsos.
Dilingana tibi, sortem sed gratulor istam
Fausta domus, vestris mors non squallebit in ollis b
Kostka, salus natis, propriis, quas eluit ulnis.

a Episcopus Culmensis. b Alluditur ad illud, mors in olla.

DIVINIOR HERCULES
Poloniæ Obligatus
DIVINISSIMVS STANISLAVS.
CARMEN SEXTUM.
Argumentum.

HErculis Statuam, (ne se subduceret) aureâ catenâ adstrictam à Tyriis obsidione pressis retulit

tulit Curtius; sanctius in Diviniore Alcide innovaverat laudabiliorem ausum Joannes Casimirus Poloniæ Rex, & Alexander Kostka. Proficiscens cum exercitu adversus furorem Cosacicum Princeps, advolutus prodigioso in sua effigie Lublini in Templo S. J. B Stanislao opem implorabat appromittens, velatâ victoriâ, vestem auream, 1000. Aureis nummis conflatam eidem imagini se dicaturum. a *Alexander autem Kostka comes Casimiri, auream torquem Beato ex ara suspendit.* b *Feliciusq; Tyriis, Divum sibi totiq; Regno, teste secutâ victoriâ obstrinxerunt, hostibus brevi post, in vincula conjectis.*

Carmen Sextum.

CAsimire decor scepti, & Fortuna Poloni,
Veræ firma basis Fidei, d columenq; supremi
Numinis in Lechia, nuper quô frena gerente
Sarmatiæ, à miro servata Polonia casu
Incolumis steterat lactenti in flore Patroni,
Mæstam exspectaret cum jam ruitura Cupressum.
Hæc supplex tibi vota litans sese obligat; illi
Fulvâ, quod Kostkam obstrinxisti veste faventem.
Et velut auratis Tyrii quondam Herculis armos
Compedibus, propriâ jusserunt sede morari;
Fixisti in Patrio Alciden sic littore Kostkam.
Id dum votivus, Regno vulgabit Apollo,
Æthereo pridem Rex Divæ recepte trione
E Casimiri concedas lilia dextris

Flori-

a P. TylkoWski Lib. 2. vitæ B. c. 5. b Ex historia MS sacelli Lublinensis B. Kostcæ.
d Zelosissimus adversus Arrianos, quos constitutione è Polonia exterminavit.

Florida non marcens ut nomen ſvada peroret.
Impatiens gens cruda jugi Coſacica (quamvis
Ut jumenta, jugo fueritconformis inerti)
Tartareum molita ſcelus; ſub mente rebelli
Conditum audaci virus feritate coquebat.
Quale nec in Libycis exhorruit Africa monſtris,
Priſca nec in Tragicis trepidavit Maltha chelydris,
Coctum, ſecretis per plurima luſtra latebat
Triſtè fibris, cineri ſuccumbens carbo doloſo
Poſt accenſurus funeſta incendia Regno.
Aut velut obſtructo colluctans lympha meatu
Eruptura brevi, domui illatura ruinam.
Erupit ſic turbo latens, ſocialia rupit
Fœdera, diſſidiis feſſum Civilibus orbem
Concuſſit Lechicum; fas, jura, fidemq; Deumq;
Divinaſq; domos, Patriæ Divumq; ſenatum
Et Dominûm jugulos, & nobile nomen herorum.
Gens veſana nimis, nimis ac ignobilis, auſu
Effreni. effreniq; Gradivo aggreſſa, patravit
Inſano mucrone, timet quod Muſa, paveſcit
Fama, acris mandare metris quod Apollo veretur,
Vomere turba rudi, campis aſſveta colendis
Verſandoq, ſolo, glebæ ferroq; ſecandæ
Et latrociniis per Dacica ſceptra vibrandis
Arte lupos potiùs, quam homines referebat avara,
Pectore crudeli Pœnos imitante leones.
Augusto Regum cicurari neſciit aſtro,
Neſciit æthereo ſuperum manſueſcere cultu.
Quin non humanos cogens in membra furores
Cæcas, fœdifragos iras collegit in artus
Vultu hominem ſimulans, rapidis aſt auſibus urſos.
Agricolaſne, inquit, tantum Natura colonos
Nos voluit finxiſſe parens? tantumne moleſta
Aptavit Fortuna manus ad jugera? mentem
Numquid in agreſti tantùm ſepeliverat arvo?

Quæ deduxit aratra, levem qua pollice stivam
Dextera frenavit, num Martis inutilis ensi?
Et stiva, & gladius ferro conflatur eodem;
Colla potest, nuper potuit qui scindere terram.
Jura dabit populis, vitulos qui sub juga misit.
Magnus & in mediis quæsitus Consul aratris
Ad solium à squallente solo, provectus ad orbis
Imperium, nuper qui mendicaverat orbus.
Prima super Latios concepit jura Quirites,
Inter inurbanos coluit qui rura colonos.
Sors eadem, mea gesta manet; non astra negabunt
Perficiet quod cura vigil. Fortuna juvabit
Audaces, soror adjunget Bellona favores
Et Mars Frater opem. Quodsi Fortuna negabit
Invida respectum, Fortunam dextra parabit
Fortior, & vincet. Non impigra cudet honores
Quos Dea pigra negat. Socii non parcite ferro
Ut fulvo liceat, terris radiare metallo.
Serpet in invictos aurum contentius armos
Armatus quos ante chalybs, quos presserat arcus.
Non nos, tot palmis vulgatus terreat hostis
Non, gens prompta mori pro libertatis amore.
Et dextris sunt tela meis, vis artubus hæret
Et validis animosa fibris mens arserat; uno
Prælia tot bello, uno persolvemus & ictu.
Delectatne jugum? liceat si faustius almâ
Libertate frui? Num subdere colla catenis?
Num parere juvat, Dominûm nutrire tumorem,
Imperium, cum firma manus promittat herile.

Jam pudet ignavos fieri, jam tecta, Penates,
Rostra, lares, nostrâq; ruat Podolia dextrâ.
Nobilitas invisa cadat, feriantq; Curules
Tela, nec a claris revocetur fascibus ensis.
Dixerat, & steropem, socium Brontemq; laboris
E siculis excivit baris, incude potentem
Vulcanumq; Patrem, stivas conflavit in enses,
In galeas buxim, convertit in arma ligones
Serras in frameas, rallas duravit in hastas.
E sylvæ latebris, rudibus caulisq; vocatos
His in Romanæ exitium Fideiq; Petræq;
Inq; graves armavit heros; comitemq; furoris
Tartara, Tartaricasq; adjunxit fœdere turmas.
Quæ tunc barbarici funesta licentia ferri
Quis furor o superi! Lechico maduisse cruore
Sorduit ictarum nuper, quod tabe ferarum.
Quid memorem raptos genitricis ab ubere natos;
Ante diem natos, hodie jam funere raptos?
Quid Divos superum, temeratos crimine vultus?
Eversosq; focos arasq; in rudera jactas,
Detractas altaris opes, totamq; sub ictu
Exspectasse truci gemebundam funera gentem?
Protrudit luctus lachrymas, non verba Thalia.
Casimirus amor superûm; cui summa potestas
Sarmatiæ commissa fuit; quem voce Joannis
Una, sed innumero meritorum nomine, multa
Gratia stipavit. Sanctæ quo Principe curæ
Plaudebant, voluitq; Polus sua cedere sceptra,
In crudele nefas odio correptus; amore
In Patriam, cui jura dabat succensus; iniquæ
Impatiens sortis, propriamq; hoc vulnere lædi
Pupillam ratus, à quo gens pupilla gemebat;
Regales in bella manus, in prælia dextras
Armavit, sceptro nuper dominante coruscas
Flagranti geminare diem mucrone coegit.

Nuper in aurato Fatum, qui tegmine risit,
Induerat crispante minas sub casside vultus.
Indomitis riguit Mavortia Parma lacertis
Quos olim Fortuna sacro mulcebat in ostro.
Pantheræ spolio cuneos perterruit armus
Blando qui nuper populos recreabat honore.
Baltheus invicto procumbens fæmore, cædem,
Quem gemmante sinu concluserat, ense minatus.
Sic totus toto spirans jam Principe Martem
Rex in bella ferox, velox in præmia; promptum
Restibus a in jurata excivit prælia Lechum.
Vix bene Regalis sonuerunt classica cornu;
Lechica Nobilitas, soboles antiqua Gradivi
Cor animo, implevit generosa mente maniplos
Humanis certasse pares assultibus, unâ
Cæde pares centum Geticas stravisse cohortes
Herculeos pleno recrearunt agmine vultus
Principis; ast dubios vigili de pectore, non dum
Deposuere metus. *Manibus Rex providus inquit*
Tartaricis par ista manus, sed Tartara fastu
In Lechicos armata focos, quæ dextera franget?
Non homines Sors ista manet, Quærendus in astris
Alcides, qui monstra domet Plutonia; victor
Oppilet Stygias valido qui vulnere fauces.
Dixit & è Patrio collectas Hercule turmas
Invictos priscâ redivivos mente Camillos
Bellaces Fabios, Martis monumenta Metellos,
Bellonæ Decios Fratres, junctosq; Gradivo
Infracto Marios animo, promovit in hostem.
Huc, ubi Lubliacis vetus urbs spatiatur in agris
Urbis nomen at orbis amor, stupor atq; Poloni
Sarmaticæ Augustal Themidis, legumq; theatrum
Justitiæq; thronus, Divæ Nemesisq; Tribunal,

Ven-

a Restes vocantur apud Polonos literæ Regiæ, convocantes nobilitatem ad publicam motionem,

Ventum erat. Astreæ, Princeps progressus in urbem
Sanctius urbano persolvit pectore vota
Ac exercituum Dominum concivit in arma.
Supplice cum gressus per sancta palatia, cultu
Circumfert, lustratq; pio penetralia Divum
Pignore, dignatus Regali fronte Penates,
Nomine felices magni Tutore Joannis
Et bene legitimo Lojolâ hærede beatas;
Vidit juratum Lechidarum in bella, Patronum,
Devotumq; Ducem cognatæ in prælia gentis.
Est ædes speciosa, a latus quæ nobile Templi
Ambit, & astrifero comitatur tecta Joannis
Fronte angusta quidem formosâ augusta sed arte,
Non ideo parvi pretii quia parva. Stupore
Haud impar nucleo Jliadem, gemmæq; Gigantes
Stringenti pallente sinu; tenuisq; lacerti
Vincenti blando moles, splendore Riphæas.
Hic propriæ defixa stupet monumenta Corinthus b
Laudis, quam celo Cælos animante paravit.
Hic Phydiæ portenta manus, mirantur Athenæ
Et Polycletæi durant miracula scalpri.
Hic Lucullæo spirantia marmore labra
Ludentesq; bonæ, Chio præ vertice malæ
Rident Timothei, explodunt fastumq; Lysippi.
Hic si sub gelido ferventia pectora saxo
Sub muta si caute sacras crebrescere laudes
Stanslai, audisset mentor celando superbus;
Si faciles in vota Deos sub rupe rigente
Sensisset Lysias, viventia funere corda
Et molles animos Superum, sub pariete duro
Tinxisset Polycles aut cum Mirone Philiscus;
Suffusi roseo jecissent scalpra pudore
Fugissentq; suos plausus, artisq; tumores.
Hic devinctorum Kostcæ, simulacra virorum

Cando-

a Descriptio Capellæ B. Stanislai, Lublinensis. b Corinthi floruit maxime ars celandi.

Candore illæso, Pario præ pumice canens,
Et post Fata litant, demisso poplite votum
Non extinguendo, quod concepêre calore.
Hic Sinæ vivis animata coloribus ora
Rupissent meritâ, diuturnâ silentia, laude
Ni tacitos premeret Kostcæ reverentia vultus.
Argento rutilis diffusa anathemata muris
Et gratæ pallore genæ, fusumq́, metallo
Eurycionis a opus, pretium testatur amoris.
Æ thereâ sese tollunt super astra micantes
Majestate thori. Croceam laquearia lucem
Non ex igne bibunt, sed quæ vibratur ab auro.
Vera fero, sed parva tamen miracula, formæ,
Qua Kostkana capella placet. Si viscere vultum
Kostcæ conclusum medio, geruleq́, tacebo
Aræ pignus amans. Deformi squallet olympus
Effigie, si stelligeris substraxeris ulnis
Tiranem; conchæ pretium minus, alligat orbis,
E Mâtris medio sublatâ viscere gemmâ.
Sollicito, vivæ si lumine suspicis artem
Iconis, aut Graij documenta requiris Apellis
Illudes Zeuxi, nomen decrescet Apelli
Confundetq́, suæ portenta pudore tabellæ
Magnus Aristides, b Iphigeniamq́, Timantes. c
Gratia si formæ petitur, si Phosphorus oris?
Angelicis aspersa genis pietate venustas
Ardet, in axe velut roseis aurora capillis.
Flora suum ver, fronte gerit. Candore serena
Lilia, mansvetoq́, rosas experta pudore;
Inviolatus amor, violas imitatus, odore
Finxit inescatas mentis fragrantia caltas.
Maxima sed vobis Kostkani gratia vultus

Cogni-

a Celebris metallorum fusor. b Aristides Thebanus æqualis fuit Apelli. Unam ejus tabellam Attalus Rex, centum talentis emisse fertur. c Singularem peperit famam illi, Iphigenia aris immolanda depicta, velato Patris ejus vultu, ob non exprimibilem dolorem.

Cognita Lubliaci Cives, spectastis in una
Tres facie Charites, experti mille, quot horæ
Lustra quot iverunt volucri fugientia cursu
Dona tot à claro Stanslai illustria vultu
In vestros fluxêre sinus. Huc agmine mæsto
Currite funereæ pestes, contagia, morbi,
Desperata salus, caligo, funera, mortes
Et quæ Tartareis crevistis Fata sub antris;
Dicite Kostkanæ victricia robora palmæ,
Effrontes sanctæ frontis miracula, clades
Evulgare, ferox propriis ut Parca sub urnis
Abscondit ferale caput, proprioq, sepultæ
Funere, sub vitæ cecidistis poplite mortes.
Ut morbis firmata salus? ut nixa cruento
Vita stetit casu? cæcâq, illustrior umbrâ
Palpebra Phæbeos æquavit luce nitores?
Invida sed taceant Kostcæ contagia vires
Ex ipso Princeps intelliget indice vultu
Kostkanam, quam quærit opem. Frons testis opimus
Arcano lateat pueri quod pectore robur.
Agnovitq, parem Augustis succurrere votis
Porrexisse manum, quam sons Fortuna negaret.
In terram, Kostcæ castam projectus ad aram
Pondere votorum, procumbens supplicis instar
Has è votivo protrusit corde querelas:
Unica spes Patriæ. sortis spes una Polonæ
Et Lechi Fortuna Patris Stanslae, virenti
Vertice Kostka puer vir adultis pusio gestis;
Ergone Sarmaticæ non clade movebere gentis
Sarmata? num propriam excludes ab amore Parentem?
Ergone nativæ tam longa oblivia terræ
Te exul Fortunate tenent? num limina Patris
Et post Fata fugis? vitæ sub luce beatæ
Nonne satis fuerat trabeatos linquere postes?

Jam

Jam satis indultum victrici pusio menti,
In Patriam Pietas faciles sibi vendicat artus.
Ne patiare gravis luctûs squallere sub atro
Sarmatiam sacco, ferratas excute dextris
Parmas pace, ostro victores indue Cives.
Et flagrante, tuos pariter circumdabit aurum
Veste sinus, fulvis adstringet nexibus, aris,
Oraq; conspicuasq; effuso munere palmas,
Ultra ne Patrios linquas Stanislae triones.
Finiit, erectas grandis fiducia fibras
Abscedente metu, spe non titubante, refecit.
Sic obsessa Tyrus numeroso fortius hoste
Ut simul Alciden, spem & detinuisset in urbe
Herculeos frenasse sinus, fulgente catena
Scribitur, hostiles ne transferretur in oras.
Ferrea ne Martis Pellæi vincla subisset
Jecerat Herculeum pretiosa in vincula Numen.
Atq; tot Heroum victor, domitorq; ferarum
Mancipium Tyrii supplex hærebat amoris.
Id largo Princeps impleverat æmulus auro
Kostkanum cingente latus. Nec vota fefellit
Devinctum Patriæ expertus sub bella Patronum.
Auratis etenim vix victus Kostka sagittis,
Ferro succubuit stratus perimente Cosacus.
Primâ, centenas supra, sub cæde phalanges
Perdidit, in profugos effusus turbine cursus.
Et Tuæ Alexander, Kostkarum gloria, dextræ
Casimiri in bella comes, portenta favoris
Obstricti, pariter cur non adscribat Apollo?
Quo consanguineos ornasti torque lacertos
Cognatasq; manus Stanslai mitè ligasti;
Nobilius Tyr à adstrinxisti compede Lecho
Divinum Alciden. Gallorum verius ipse
Alcides; non è labijs manante disertis

Torque, sed è donante manu, nodata Patroni
Ad Te corda trahens; animum trahe posco fatiscens
In corpus Patriæ languentis, ab ore Beati,
Tu verò Divine puer, ne rumpe catenas
Quas supplex nodavit amor. Sit Gordius iste
Nexus, Alexandri nullo mucrone secandus,
Fortis, Alexandri quem dextera nexuit, aris.
Libera membra Lechi, famularibus exime loris
Nec rigidis assveta Gethæ. colla eripe frenis
Libertatis amor, vindexq; in compede Kostka.

Lachryma doloris Filia, Gaudij Parens,

Lublini ex effigie depicta B. KOSTCÆ Prorumpens.

CARMEN SEPTIMUM.

Argumentum.

Illachrymante funeri Sigismundi tertij Poloniæ flevit & B. Stanislaus in imagine sua, in domo suburbana Lublini; utq; luctûs gravitâtem testaretur, etiam sudavit. Ast è lachryma gaudium, è sudore, publicæ salutis levamen effluxisse, quisq; conijciet; ubi post Fata Sigismundi tertij, flectente see-

sceptra Vladislao, aurea in Lechiam sæcula rediisse, tum pace, tum faventi sorte beata, è fastis Sarmaticis excerpet. P. Tylkowski & hist: Polona.

Carmen Septimum.

CEdite, qui queruli lachrymas insignia luctûs
Et malè grassantis, vultis documenta doloris.
Kostkanis affusa genis sacra lachryma, Regno
Lætitiam festiva parit. Fæcunda triumphi
Mater, arante sinum, plausus generando querela
Et mærore jocos, planctu querulante cachinnos.
Pierii supple torrentis Kostule fluctum,
In madidis potando genis in carmina pennam.
Sic accincta metris, præsulsis ebria guttis
Conditos sale Pierio, feret ala susurros.
Sexcentos & mille supra denosq́, ter, annos
Cum binas hyemes Titan æstate fugasset;
E solio ad Feretrum, Augusta de sede sub urnam
Parca Sigismundum jecit dum funere Regem
Et Lechicum orbavit trabeato sidere Cælum;
Involvit dirô lugentia sceptra dolore
Corrupit Roseum pullô mœrore senatum
Questu rura, feris tristes ululatibus urbes,
Oppida tristitiis, orbum superinduit orbem
Sarmaticum pallente toga; salsâq; rigavit
Pupillas lachrymâ; dolor ut crevisse rigatus
Posset, & in planctus surgens conciret olympum,
Et Kostka in lachrymas Divinior incola Regni
Prorupit, madida rorans in funera malâ.
Incorrupta, altis madefecit fletibus ora
Tristibus ut Patriæ vultus abstergeret undis.
Urbs, quà Russiacis incumbit proxima campis
Lublinum, Lechiæ Vice-Regum grande theatrum
Offusum blandè ridentibus undiq, pratis,

Vicino præ colle domus (a) sub paupere tectô.
Æthereas claudebat opes. super icone vultus
Innumeros superum, quamvis rudiore nitore,
Nobiliore tamen cultos fervore fovendo.
Et super illustres ardente colore Penates
Hi superis placuêre lares Aulæa Luculli
Et Persæa Midæ radiantes stragula muros
Non hæc auxerunt faciei; quà juncta Beatûm
Majestate tholos dotarunt ora coquinos.
Hærentes inter Tugurî præ pariête Divos
Divus erat, Kostcæ placantis sidera vultus
Compositasq́, manus gremiò super astra levantis;
Queîs fulcire Polum, terram fulcire Polonam
Visus, Athlantæos excedens viribus armos.
Qui niveâ præ fronte lepos? quæ gratia risit?
Mirari Grajus non dicere posset Apelles.
Et Minos,& atrox puerum Rhadamantus amasset.
Ipse truci Phalaris posuisset corde furores
Amentesq́, Scyro flexisset pectoris iras
Purpureas si fortè genas, si labra videret.
Sed nec Cælicolis constanti gaudia plausu
Fata ferunt; gemitu confundit mæror amænos
Et pallor roseos temerato vertice sensus.
Lætior aurato nuper qui floruit astro
Kostulus, Elysios aluit qui fronte favores
Liventem sub corde metum, pavidisq́; timorem
Irritat lugubrè fibris, palletq́, pavetq́,
Sollicitâ lacerante sinus & pectora, Curâ.
Exagitat pia membra dolor flagransq́, sub imis
Ossibus, è calidis sudores exprimit armis;
In rorem vultus, in rorem brachia manant
Quo, calefactâ siti recreetur Patria florens.
Cereus ille velut guttis exhaustus anhelis
(Cereus & fuerat populorum in vota) liquebat.
Nix velut ardenti radiis à sole perusta

(Et

(a) Joannis cujusdam Sartoris.

(Et retulit candore nivem) currente per ulnas
Totus in effusos resolutus vertice rivos.
Pendebant gravidæ per membra fluentia guttæ,
Et scissæ rigui properantis pondere fluctûs;
Avulsæ, fluitante sinu, tellure cadebant,
Ut solet in concham ros, gemmæ semina, volvi.
O mihi Kostkano lapsas de corpore guttas
Carpere si liceat, patulis legisse vel ulnis
Nolo Niliaco fragrantes cortice succos
Aut ab Jdumæis redolentia flumina truncis.
Quid revocem pulsas miti de lumine lymphas?
Cantandis, dulcis Pegasi non sufficit unda.
Per mentum, per arata molesto labra susurro
Humentes cecidere sales; pars nulla vacabat,
Tristi diluvio, lachrymis pia membra natabant,
Vix non naufragium plenis passura fluentis.
Tertia jam gelidam Cælo lux moverat umbram,
Pallida cum nondum caligo è pectore Kostcæ
Cesserat, obscurisq; pavor cruciatibus horrens;
Ni cladis gravitas, premeret gravitasq; doloris
Et mitis pueri, patientia stringeret ora,
In gemitus vocesq, dolens abiisset imago.
Nam, quoddam est miseris, effusa querela levamen;
Et dolet ille minus, qui ponere frena dolori
Nescius, in planctus vocesq, exuberat. Ignes
Fulminis, in nebula tacitê conflantur, & amnis
Grandior ille tumet, tacitâ qui labitur undâ.
Prodigii famâ populus concitus ab urbe,
Exciti Proceres Kostcæ rumore dolentis
Conjuncti Lechicæ Themidis Proregibus, uno
Agmine, vocales lachrymis petiere Penates.
Quæ pronis tunc vota fibris? qui mente stupores?
Quæ mirabundæ vultûs mutatio genti?
Affundunt lachrymis lachrymas hi, vocibus illi
Aëra confundunt, Kostcæ implorando juvamen.
Hi taciti portenta stupent, facunda stupore

Eripiente labris verba, hi sub pectore Sanctas
Accendunt flammas labentibus icone lymphis.
Hi spe muniti promittunt faustius Omen
Sarmatiæ, confusâ metu fiducia, plures
Concutit, ominis incertos cum tristè relinquit.
His ego me conjungo, puer lachrymose, petendo
Supplex, quæ tanti fuerit tibi causa doloris?
Fluxerit expressus largus quo pondere sudor?
Accendit qui membra calor? qui languor adegit
Defessum sudare sinum? mærore fatiscens
Palpebra, quo, teneris lachrymas extorsit ocellis?
Suntne & Cælicolis propriæ per sidera clades?
Num superos sua fata manent? Terrisnè feroces
Invideant Divi luctus, cupiantq; videri
Participes Fati, vellet quod perdere tellus?
Non dolor, at mitis cruciat compassio Cælos.
Indoluit Patriæ compassus Kostka Patronus
Non doluit. Mæstam regno impendere ruinam
Vidit ab irato corruptæ, Numine, vitæ
(Quod Danielis BonikoWski visio firmat) a
Vidit & offensas jamjam spirare cruentam
Angelicas mentes cædem, qua crimine læsi
Implerent mandata Dei, ulciscentis honorem.
Jam bellum, jam mille neces, jam mille parabant
Excidia, Herois jugulo excipienda Poloni.
Immemor haud, Lechiæ fusum se viscere Kostka
Quid faceret? vivax Divæ pietatis imago.
Gaude ratus propriæ, non prospexisse Parenti
Impietatis opus, supplex in vota liquescens
Numinis, ad solium lachrymis pro gente perorat
(Et vocum lachrymæ pondus sublime gerebant)
Facundæ fundens pupillâ flumina svadæ
Pythagoras (b) labjis, Cicero sed corde disertus.
Nec

(a] Relata a P. Nicolao Oborski in relatione Miraculorum B. Kostcæ. (b) Cujus prima discendi lex fuit, quinquennio tacere.

Nec vocum strepitu mulceri gaudet olympus,
Eligit æternum devota silentia Verbum.
Mox Superûm calidas lachrymis emolliit iras
Exstrxitq; sacro ferventes igne furores.
Per, sa sô, justum, sudantes flumine, venas,
Erupit viras, viresq; effudit amaror.
Gaudia de lachrymis & de sudore Polonûm
In corpus, speciola salus decurrit ab Astris.
Blanda Vladislao sub Principe, dicite sæcla
Aspera non Fatis, crudo non horrida bello
Non Martis vitiata minis, sed mitia pace
Fortunæ sed culta sinu, nutrita favore
Astrorum, soloq; orbi vocalia, plausu;
Quo tot Regales hausistis fonte triumphos?
Si non illachrymans flevisset Kostka, Polona
Non tibi risisset vultu Fortuna sereno.
Si non sudasset sub pondere fortior Athlas
Sarmatiæ, gemeres tumulatus Sarmata, casu.
Sudore Herculeos Cicero maduisse lacertos
Tradiderit, Latios Fato aggrediente Penates,
Fortior Alcides Lechico devincte Trioni
A Kostka (a) nuper, sudas minitante ruinam
Fortunâ Patriæ. Pretiosus amicus Achates b
Sarmatiæ, admoto sudas cum clade veneno
Hoc Sanaturus quasi balsama, vulnera, succo.

(a) Vide supra Poemate sexto. (b) Achates gemma admota veneno sudat.

Dk FELI-

FELICIOR IN SOLVENDIS Ad Vota Nodis Alexander, DIVINISSIMVS KOSTKA.

CARMEN OCTAVUM.

Argumentum.

PEtrus Ożga Subjudex Leopoliensis, captivus apud Turcas, spe omni, bello Polonorum cum Porta instante, evadendi amissa; Votum ad B. Kostkam concepit; luce eidem sacrâ, quotannis sacram Synaxim se aditurum, si mense Novembri, ante festum Divi, libertati restitueretur. Catenis exemptus, habuit ad vota Patronum, votumq; quamdiu in Vivis egit implevit, P. Nicol. Oborski in Relatione Mirac: Beati.

Carmen Octavum.

ADstrictâ, gaudent celebrari vincula Svadâ,
Rupta forent, licet illa tuo Stanislae. favore.
Fregisti Dacicos, festivo robore nodos
Hæc vati fragmenta placent. Obstringere nexu
Nobiliore virum, famæ, non posse probaris
Kostka tuæ, solvens vinctas quam compede plantas.
Pierios in metra tamen si stringere pergis
Dive pedes, laxabo alacres in carmina pennas.
Petrus erat claris Proavûm de Stirpibus Ożga
Russiacas qui gente domos connexuit unâ,
Hausit & illustris, Ruthenus, sanguinis, Orbis
Quidquid habet Roxolanis quæ gloria Ceris
Ardet, in hunc liquefacta virum confluxit. In alto

Mellea nam sensit, rutilis conformia Ceris
Gesta sinu. Justo Themidis donatus honori
Petrus erat petrâ Judex constantior. Jllum
Non fregisse minæ; non emollire favores
Non iræ valuêre truces. Adamantina forti
Stravit tela manu; Non aurea spicula rectos
Irrupere sinus. Jllo sub vindice leges
Ac Astræa parens legum, rectiq́; Magistra
E proprio cessisse throno. induisisseq́; fertur
Germano solium Fratri, & terrestre Tribunal.
Hoc antiqua suum mutaret Roma Catonem
Trojaniq́; suum cessissent jure Riphæum (a)
Hoc justas possent si Judice solvere pœnas.
Jllius Patrio, spirat quæ stemmate Virgo b
Spirat Virgo Themis, plauditq́, Astrea, theatrum
Famæ nacta suæ, votos legiq́, Penates.
Fata sed emeritos, tenui nec laude coruscos
Quæ norunt tentare viros, involvere Petrum
Perrexêre malis, turpi crudelius ausu.
Et tunc lugubribus tenebris offundere Phæbum
Visa fuit caligo ferox; & lilia spinæ
Præcinxisse graves, & adurere flamma metallum
Aut adamas frangente fibras, sudare sub ictu.
Sarmatiæ, tractus sub vincula Bisthonis, Heros
Tractus in Odrysias audaci corde catenas
Inseruit sublime caput. Per colla monile
Serperet Indiaco tanquam de vortice tractum
Pingeret aut sparsis palmas Piscaria gemmis.
Nec trepidas averte manus à compede, frenis
Impavidos comitte pedes; Non promptius unquam
Pressisti famæ, festino poplite passus
Liberior, stricto Patriæ quam adstrictus honori
Ferro, ibis duraturis per sæcula Fastis.

Sic

(a) Trojanorum justissimus de quo Virgil: Justissimus unus Qui fuit in Teucris,& servātissimus æqui. (b) Stemma Domus Rawicz, id est Virgo urso insidens. Okolski.

Sic dum lustra, dies, tacitis volvuntur & horis
Et menses volucri truduntur mense volantes
Nec spes solvendæ, so atur compedis, artus
In Cæcis squallent quin corpora carceris umbris,
Tentabat dubium trux desperatio pectus,
Dedecuit tantum, sed spem vitiare, pavore,
Nec sperare virum. *Frangunt exilia casus*
Pectora vel tenues; nec vasta pericula magnis
Sufficiunt animis; annosæ sibila quercus
Rident, & validos explodunt frondibus Euros.
Parva Noto facili, aut Zephyro succumbit arundo.
Suppeteret cum nulla tamen fiducia Terris
Humanis aut nixa modis, super astra recepit
Mens robusta Petri sese, felicior exul
Terrigenis hac arte plagis. Surrexit olympo
Conciderent animo reliqui dum mole doloris,
Jnter Cælicolûm cuneos, formosa Beatûm
Agmina, provisam terris in gaudia gentem,
Ad cicurandā videt mæsti suspiria cordis
Prognatum Kostkam, festivas pollice palmas
Serta manu, centum gremio nutrire coronas
Et centum mulcere jocos, & gaudia mille.
Corde verecundis supplex adsternitur ulnis
Fronte pedi, parcens verbis per vota perorat
Jurat & illustrem Kostkano nomine lucem
Lucem per Lech cum cantatam plausibus orbem
Ex voto sacrâ vita durante, Synaxi
Donandam, atq; per Angelicum convivia Panem
Nobiliora dape Ausonidum, apponenda Patrono.
Consuluisse tuæ poteras non fortius unquam
Ozga fugæ, aut Valachûm superandis poplite campis
Quam Divina vovens sumpsisse viatica Cursor.
Promptus in offenso vinces Othomannica passu
Jugera, traijcies, facili durumq; Niphatem
Jlæso Taurumq; genu, soleatus avito
Kostka-

Kostkarum chalybe (a) ac in iter benedictus ab astris
Tergeminâ Cruce, clara Patrum quam Cera ministrat.
Kostkanas vix dona aures tetigere dicata
A jurante Petro, Divum obstrinxere clienti
Exemêre truci lætum sed compede Petrum.
Spiritus acer erat tibi Petre & fervor acutus
Subtili mucrone velut quo vincla secantur.
Credite vim gladij, linguam tenuisse petentis
Captivi, submissa Polo qua verba ferente
Vix cessuræ ferro exnunc cessêre catenæ.
At meritis id Kostka tuis adscribere mandat
Pieria ac humana fides; qui præêligis imo
Devinctos animo, vinctos quam fune clientes.
Perge precor similes sic rumpere Kostule nodos
Nodus hic omnis erit, Pellæo ut Gordius omen.
Nexibus & scissis major connexio laudum
Votorumq; tuis, hærebit Dive triumphis.

(a) Stemma B. Kostcæ solea & 3. Cruces.

Sors Trabczynianæ Dryæ, B. STANISLAUS KOSTKA.

CARMEN NONUM.

Argumentum.

STanislaus Trabczynski ex Palatinatu Calissiensi stirpe nobili & meritis insignis, Anno 1624. Lethali morbo depositus, spe recuperandæ Sanitatis, à medicis excussâ, dum ultimam exspectat horam; à Dæ-

à Dæmone visibili, lecto adstante humanâq; præsagiente territus voce: Morieris, morieris, & inferno inijcieris: *Ad implorandam Beatissimæ Beatiquè Stanislai opem convertitur, videtquè subitò comparentem amictu Societatis Jesu B. Kostkam, auditq; dicentem:* Ne timeas, supervives, & sanaberis. Deum in Trinitate unum & Virginem Deiparam invoca. *Quibus disparente dictis, illicò sibi redditus & sanitati Stanislaus, visionem conjugi, Parochoq; enarravit, lectoq; se proripuit.* P. Nicolaus Oborski Ibid: & P. Tylkowski vitæ Beati Lib: 2. c. 7.

Carmen Nonum.

COnde triumphatos sub Tænara Tartare vultus,
Et Furias absconde tuas. Attollere fractas
Stanislao victore minas, testante Viennâ,
Non licet, immitem libeat nisi, quærere casum.
Sed Tu promeritos, Kostcæ, sub pectore plausus
Trabczyniana Domus, calidis accende medullis
Victori puero, solidiq, immota favoris
Fundamenta lapis trinus, (a) sub stemmate figas.
Integer erumpat votivo Spiritus ore
In vocale decus, quem ne erupisset in urnam
Inter labra st tit Stanislaus.
Magna inter Lechiæ majoris Nomina, priscis
Non ignota viris, ævoq; corusca vetusto,
Illustri nec stirpe minor, nec gentis honore,
Inferior, cedens opibus nec, origine claris
Heroum domibus. gestisq; haud, grandibus impar,
Trabczyński Stanslaus erat, quem forte Beatum
Fortu-

(a) Trabczynsciorum sitorum in Palat. Calis. Stemma Dria, id est 3. lapides, Okolski.

Fortunæq; Poliq, invasit turbine morbus
Et morbus Fatalis erat, Bacchatus in artus
Et fractas languore fibras, languente valebat
Stanslao; crevére truces per marcida vires
Membra malo. Gladî validus surrexerat, ægri
Debilitate vigor, Fati sub mole, jacentis.
Non, fluidas movisse manus, non flectere collum
Non, gelidos relevare sinus suffecerat æger,
Omnem sufficit lapidem robusta movere
Debilitas. Patrio sub stemmate mite rigentes
Conflabat Lachesis lapides in funebre saxum
Mortis & alea, Dria fuit.
Jam lecto lethum, tristi invigilabat & urna
Mæsta thoro, vivæ facies conformior umbræ
Atq; cadavericæ livore asperrima formæ
Hac formâ deformis erat; lugubre sepulchrum
Spirabat, faciles exspiratura per auras.
Uni, tot juncto incumbebant fata furore
Tot fuerant sed Fata parum, conjurat Avernus
Et fædum Styx fædus init; *facili arte leguntur*
Ut noceant socii; Jungunt in fædera dextras,
Affligant prompti miseros ut sorte sinistrâ.
Tartareis protrusus haris, cui mille nocendi
Artes, iræq; invidiæq, & noxia cordi
Crimina, Gorgoneos tendens per tempora Crines
Anguineam per menta comam, Plutonius horror
Terruit aspectu, perterruit ore loquaci
Humanas cogens rostro prorumpere voces
Dæmon inhumanus: *scindat cum stamina Parca*
Non vives Terris, vives sed mortuus orco
Inquit, Avernali donandus ritè sepulchro.
Dixit & ardentes avido spuit ore favillas
Flagrantes animando minas; fætore paventem
Aëra corrupit, corrupit corda timore.
At pavor egelidus ferventem accendit amorem

Arsit amor Kostcæ, exarsit fiducia fibris
Stanslai, timido cum frigore membra rigerent,
Cera velut radio percussa liquesceret ignis
Ignito fervore calens, mens anxia fluxit
Prono delabens votorum in sidera cursu:
Stanislae tuo felicem nomine servum
Deseruit quem pulsa salus, ne desere natis
Læta salus, clamat depellas Dæmona lecto
Et morbi lamenta sinu. Vivacius isthinc
Vota tuis concepta aris si vita superstes
Permittat, Stanslae canam. Te vita Patrono
Reddita, non invita sacros cantabit amores.
Dixit, cum tristem Fato, delapsus in aulam
Kostka puer, nigra illustris sub veste Lojlæ
Sub pallente togâ nil lugubre, tristie sub atro
Tegmine nil revehens; veluti si pallida nubes
Velaret gremio populorum gaudia, solem.
Ne paveas Stanslae, refert, trepidare nec ultra
Tænara Monstra licet; timeant, qui sceptra timere
Ignorant & amare Poli. Nec credere Falsi
Mendaci fas esse Patri. De morte superstes
Edomita vives, vivesq; perenne trophæum
Virtutis Stanslae meæ. Vivusq; colossus
Nomen in astra feres, trinum modo numen & unum
Divinamq;, tulit Numen quæ viscere, Matrem
Et voto, amplectiq; sinu perrexeris imo.
Finiit. A lecto rursus super astra relapsus
Ægro cum Cælum liquisset & astra valenti.
Cedentem per inane sequi quasi vellet in axem
Trabczynius, strato se proripit, erigit artus
Et palmas super astra levat, documenta Beati,
Victricis palmæ. Sequitur satagente, volantem
Sub Cæli convexa virum lachrymâq; manuq,

Sed

Sed fugit, Boreæ rapidâ pernicior alâ
Mansit sola salus Stanislao.
Aurea, credo fuit Kostkanæ gratia dextræ
Et Trinus probat esse lapis quasi Lydius; esse
Si tamen ille silex possit velletq; Poëtæ
Excuterem flammas, aptosq; applausibus ignes
Victori, ignescente fibra. Quia fronte corusca
Grande gerit pretium, (a) pretiosa monilia tanquam
Appendo Stanslae tuis, anathema sub aris.
Alea nec placeat Fortunæ, erratica, vobis
Trabczynscy, Sors Kostka Driæ sit provida Vestræ.

(a) Ab Okolski in Dria tres lapides pretiosi esse dicũtur

IDEA KOSTKANI FAVORIS
Sub
Luna Miaskoviana.

CARMEN DECIMUM.

Argumentum.

Albertus Miaskowski, Podoliæ Dapifer S. R. M. Aulicus, Gostini, hærẽte in faucibus, piscis osse cum lethaliter, nec quidquam proficientibus quæsitis mediis, suffocaretur; ubi ferventi aspiratione, votum ad B. Kostkam elicuit, illico os è faucibus in linguam prorupit. P. Nicolaus Oborski ex Processu Leopoliensi.

Car-

Carmen Decimum.

VEstrum Miaskovii Kostkani roboris, index
Est Cornu, (a) sed cornucopia plena Pöëtæ
Laudis, compungens in justa encomia pennam
Votivo scribenda stylo.
Sive petis stirpem? illustris primordia sive
Quæris? ab antiquis currente diutius ævis
Albertus de gente satus. De sanguine fusus
Miaskowskich, Procerum rubuit quo Purpura, nomen
Sed non erubuit Procerum, altoq; coruscum
Et splendore Patrum, & Proavûm fulgoribus ardens.
Majorum sed luce satis qui fulget, honori
Non satis ille nitet. Buccâ jactare tumenti
Quid juvat Alciden? seû Hectora sanguine junctum
Si Venceslaus vel stertas Attalus ipse.
Non satis Alberto à Patribus traxisse decores
Nec gestis augere suis. Fuit ortus Ulysse
Telemachus, Jasmenus marte seu Jlus Achille.
Quos hausit radius splendores, sole Parente
Auxit & ipse, jubar quo non formosius astris.
Podoliæ Dapifer, Supremæ Regius aulæ
Sarmatidum, cui non similis Zopyrus, ephebus,
Pellæi meritis repetitus Ephestio nati.
Quo Ganimede (b) frui si posset Juppiter. astra
Temneret, axe viri pulchro detractus amore.
Jllo dedidicit Pietas, velut exul ab aula
Desertas habitare vias. Hoc docta Magistro
Aula pios nutrire viros; & grandis eodem
Cum probitate sinu, devotior aula foveri.
Qui documenta petis, feralem perlege casum.
Inter formosæ dapibus convivia mensæ

Et

(a) Stemma Miaskoviorum Unicornis, Luna, & stella.
(b) Ganimedis forma Juppiter delectatus eum per aquilam adferri jussit, ad obsequiaq; aulæ ætheræ adhibuit.

Et promptos in labra cibos, epulasq; placentes
Convivis, jejuna stetit mors, funera vescens;
Luctivagis assveta frui male, cladibus, acrem
Et lachrymis frenare sitim planctuq; gemertûmq;
Qui fuit ad gustum Patriæ, gustumq, Polorum,
Alberto, irritare famem per adesa latrantem
Viscera, Parca aggressa ferox, invasit apertas
Impatiens vesana moræ, cum gutture fauces.
Os piscis sumpti jugulo suffixit acutum;
Quod pungens teneram labri post ostia, carnem
Invisam lacerato expurgeret ore salutem.
Jamq; hæsit vox fixa labris, vultusq; stupore
Lethali attonitus, Fatum pallore, docebat
Vix uno distare gradu; Mors ossea formam
Format ab osse suam, grassata doloreq; doloq;
Juncta epulis mensæq; cohors ruit obvia, cladi
Et confert, quam posset opem. De faucibus hostem
Pellere, in ignavam tentat compellere in rtem
Arte fugam. Advocat Hippocratem, sociumq; Galeno
Pæonem, vitæ variâ spem nutrit in herba.
At Fato minime Pæonia profuit herba
Nonnisi quod Sancto potuit sub flore juventæ
Stanslao marcere, os forti & cedere Kostcæ
Sollicitæ terrena parant dum pharmaca dextræ
Nec terrena juvant, Superûm innutritus amori
Aulicus, edoctus spem credere certius Astris
Mente litat, (taciti quoniam vox faucibus hæsit)
Per concepta Stanislao suspiria votum.
Et toto spirat Patronum pectore Kostkam
Morbus ut exspiret. Vacuo nec, nisi volabant
Vota sinu. Plenis rediêre favoribus ori.
Dumq; angustato subeunt præcordia labro
Guttureq; obstructo, cessêre obstacula calle,
Territa, profusis grandi redeuntium ab astris
Majestate precum; pleno quas munere Kostka
Auxerat, angustis haud aptas faucibus ire,

Prosilit in linguam, è lingua, protruditur, esse
Mors subnixa, viro nec mox reditura, fugatur.
Nobiliore, tuæ sub Luna more Platonis
Fixerat ideam celebrandi Kostka faveris
Maskoviana domus. Pariter tu pinge Patrono
Votivi ideam cultûs, accende coruscas
Astrorum, fixas gentis præ stemmate tædas;
Ut Kostkam proprias, venerabile pignus in ædes
Inducas, donesq; illustri pectoris arâ
Auguror, hoc vestris Phæbo sub Præside stellis
Nobilior præ fronte nitor, lux aurea crescet.
Omen vaticinans & conste latio fundet
Quali nec Latios fertur plausisse Quirites.

Sanctior Pòëtis Addictus Phæbus
DIVINISSIMUS STANISLAUS.
CARMEN UNDECIMUM.
Argumentum.

M. *Stanislaus Bronowski Professor Pòëseos Leopoli, parando Drama honori B. Kostcæ exhibendum, laboris vehementiâ in febrim calidam impulsus, inde in Apoplexiam detrusus hinc in lethargum prolapsus, nullis seu Medicorum pharmacis, seu doloris acerbissimi inflicti artibus cum à mortis Fratre somno excitari posset, vivumq; cadaver ab o-*

mnibus

omnibus censeretur, pro ejus incolumitate R. P. Premislaus Rudnicki voto ad B. Stanislaum nuncupato, ubi sacras Patroni Reliquias cubiculo decumbentis inferri jussit, subeunte limina sancti pignoris bajulo, radius tanquam à sole, à Divo pondere projectus in ægri oculos, somnum fatalem illico depulit; prorumpensque experrectus Stanislaus plenè se sanum persensit, valens Scholastica etiam adire munia, nisi vulnera, male dormiturienti inflicta excitationis ergo, obicem ponerent, emplastri indiga. P. Nicolaus Oborski Ibid: ex Processu Premisliensi.

Carmen Undecimum.

Dicite Russiacæ, psallentia Numina, Musæ
Lemburgoq; Deæ præ vertice mitè canentes
In pia sus tendendo chelym. Non tarda susurros
Depsoperet testudo novos. Vocalia Kostcæ
Munera, quis tacito voveat tumulanda sub ore?
Vocibus implevit labium, dum pignore dextram,
Per bifrons lepidam festivo murmure, culmen
Echonem geminare decet; per sidera sparso
Aonio mons sanctè choro. Tibi gaudia Kostka
Reddidis, erepto funestæ Præside morti,
Stanislaus erat Lechica sub voce, Bronowski
Ignatij de gente nepos; nec degener, alto
Et splendore domus Lojolæ illustris & igne.
Reflectas ad gesta vigil si splendida mentem?
Excessit fulgore diem.
 Ut Lemburgensis suscepit frena gerendi
Parnassi nutu superûm; in sublime theatrum
Non sublime nihil vexit. Virtutibus orbem
Transgressus, probitate Polos penetravit adultâ.
Æquavis supremâ sinum doctrina bicollem

Si potuit tenuisse parem. Gravitate Maronem
Ausa, vel ingenio vatem superare Pelignum.
Vidisses lusisse sacros sub fronte lepores
Et charites habitasse metris; blandasq; jocari
Pierides, pronò famulari Numina cætu
Docta viro, faciles potuit qui flectere Musas
Et Phœbo præcepta dare.
Et scivere suum coluisse perutile pignus
Aonidûm gens pulchra, chori. Plaudente capillos
Herbarum cinxère comâ. Quas provida Chlorys
Elisiis detraxit agris. In serta, Thaliæ
Nodavit formosa manus; Zephyriq; favendo
Dulcè renidentes aluêre tepentibus auris.
Castalio si fortè vado porrexeris aurem?
Quælibet hic veteres exsibilat unda triumphos;
Dum Stanislai geminat sub flumine plausus
Nec muto torrente sonat. Dumq; aurea fundit
Verba velut nummos, pretium decrescit Hydaspis
Vilescitq; Tagi valor.
Hos cultus repetente jugo, repetentibus antris,
Et per Regna ferênte Noto, non invidus, ambit
Participem fecisse Polum Bronovius; ejus
Quem vel Cælicolûm invideant odea, triumphi.
Dispositis in vota choris, in metra Deabus
Quas superûm stimulabat amor; perfudit amænâ
Laude Stanislai, Patrio de nomine Kostcæ
Non tardam celebrare chelym; Facunda tetendit
Barbitha; junxit opem celebris Polyhymnia gestu
Et Comicis Thalia potens, In gesta Patroni
Orbis digna oculis, ornantes Drama; stuperet
In Latio quod Roma foro Divinus honorum
Actorem, referebat amor; sed plurima virtus
Instruxit scenas; scenas queîs Numen, olympum
In Festiva theatra daret.
Huc operam, vires, conatus flexerat omnes
Bronovius; fuit una quies augere labores

Et sudare refrigerium. Languebat anhelum
Jam robur, lassæq; manus mansveta petebant
Otia, fortis amor sed dura negotia dextris
Objecit, mentiq; moras excussit inanes.
Fervens cura fuit, flammâ quæ membra febrili
Accendit, gemino Vatem populata calore.
Flamma fibras, cor adussit amor. Divinior actor
Sic Stanislaum præ Te Stanslae tulisti
Non extinguibili super artubus igne flagrantem.
Sanctior in vivis abijsti victima Kostcæ
In proprio combusta foco. Jllustrare Patronum
Perge, fibris tibi flamma subest.
Dum cæpto properans negat indormire labori
Aut somno causare moras; invasit inerti
Lethali sed nocte pios Lethargus ocellos.
Corrupêre duos fera somni nubila soles
Qui mortis jam Frater erat. Decumbe Bronovi
Tantisper, nec Fata time feralia, nocte,
Nobiliore, brevi superatâ, lætiùs astro
Applaudente diem dicam tibi voce coruscam.
Umbrarumq; micans fænus, tenebrasq, nitentes
Et lucrum mœroris ovans.
Qui medicam profitetur opem, Pataræus Apollo
Quiq; Galeniacâ terris celebrantur ab arte
Acciti juvêre parum. Medicamina mille
Effectus necq; unus erat. Spes omnis in herba
Fracta cadit, nullo pubescens flore juventæ;
Funereo quem Parca gelu corrupit, iniquâ
Falce metens. Frons ante rubens, roseæq; perunctæ
Rore pudicitiæ, Cupressum nutriit ore
Et violam pallore gravi simulabat; atroci
Fatorum violata manu.
Mox ubi Pierius minimè profecit Apollo
Sarmaticum placuit Kostcæ sub nomine Phæbum
(Qui nec natus adhuc, trabeatæ Matris in alvo
Jllustris, roseo radijs à sole refulsit)

Cum forti imploraſſe manu. Sacra lipſana thecæ
(Argenti quam ſtruxit ebur) mandata, reduxit
Vix ſub tecta Pater male dormitantis; ab aſtris
Projectus veluti radius, percuſſerat ægri
Lumina, fatali miſere torpentia ſomno,
Accenditq; diem depulſa nocte. Fugato
Letho, læta ſalus rediit. Lethargus abactus
Sub fibris extincta febris. Surrecte Bronovi
Evigila, donat patulâ te luce Patronus
Æthereo ſplendore tuus.
Vos ſperetis idem, ſpe non fallente Poëtæ
Quos Koſtcæ devinxit amor. Sic ille ligatos
Omni perficiet Fatorum clade ſolutos.
Sarmaticæ volucris pulli, huc intendite lumen
Hunc Phæbum explorate probi. Sic vos fore credam
Illuſtris de gente Lechi. Nomenq; Polonum
A Divo duxiſſe Polo. Funderis ut aurum
Sic pretioſa labris in verſus verba; ſub ore
Excoquet hæc radijs, veſtro Stanslaus opimis
Et fiet cor, Gazæ ferax.
Ergo noſtra precor ſubeas præcordia Koſtka
Pierij bene montis herus, vel nominis hæres.
Patritiâ munire pedes ad metra volantes
Tu ſoleâ dignare peto. Ne fractus aberret,
Quemlibet, illuſtri Patrum de ſtemmate, ſigna
Et benedic Stanslae Cruce.

URBANITAS DIVINISSIMI KOSTCÆ.
Lechicis urbibus exhibita.
CARMEN DUODECIMUM.
Argumentum,

Juſta petentibus non negare, cum facilè præſtare
poſſis

possis, urbanitatis documentum censet orbis politus; probat & Kostkæ Divinissimus. Intereunti peste Posnaniæ, succumbenti Varsaviæ, Lublino, Jaroslaviæ; metuenti à devorante suburbia incendio, Leopoli, extremaq; fame sub obsidione Scythico Cosacica laboranti, planèq; ad desperationem & urbis deditionem redigendæ, Premisliæ pariter inter incumbentes cervici cinctæ, Schismaticos cuneos paventi, vix votis provocatus, adfuit, opem, quam facilis præstare posset, offerens, solumq; negans, negare suppetias. Videantur hæc latè descripta apud P. Tylkowski Libro 2do vitæ. & P. Nicolaum Oboski in Rel. Mirac:

Carmen Duodecimum.

DIscite barbaricæ terrarum pignora, mentes
Mentes Sylvicolûm monumenta scabrosa ferarũ,
Discite compositos, cælo & meliore politos
Mores, vel Cælo de discite cruda Magistro.
Et superos urbana decent, recreantq;. Decora
Viderat in specie Joannes urbis olympum,
Sensit & urbanum. Faciles in justa favores
Vota dare, ingenuum nunquam frustrare petitum
Prima Politorum censetur norma virorum.
 Dicite iam Lechicæ, subductæ cladibus urbes
Raptaq; funereis felicius oppida Fatis
Stanslai salvante manu? si quando rogatus
Kostka negavit opem? sanctis præbere favores
Num renuit votis? eiectæ corde calenti
Si vacuæ cecidêre preces? vox sidera nondum
Hæredem nondum Kostcæ penetravit in axem,
In terræ promptus lachrymantia Kostka volabat
Vota; negare negans, urbano more Patronus
Quæ fuerit præstare potens.

Prima meis urbs prisca metris Posnania, prima
Majoris Lechiæ pretio, sed forte secunda
Occurris; geminâ, quam jactas stemmate, clavi
Illustres pietatis opes post mœnia claudens
Ad portentâ viam, Kostcæ celebranda recludis.
Porta perantiquis d[illegible]a â Principe Ceris,
Porta triumphalis subeunti encomia, Musæ
Offert se patulam, gaudetq; in carmina tendi.
Urbs hæc decrepito Ptolemæo cognita testi
Et veteri celebrata ævo, sub voce Stragonæ (a)
Secula lassavit, crudis impervia Fatis
Orbe cadente stetit; vicina pericula risit
Fortunæ secura suæ; surgebat in astra
Turritis erecta tholis, cum regna ruinis
Corruerent tumulata suis; Civilia bella
Jurârunt, externus conjuravit & hostis,
Liventi assultum meditatus Marte Bohemus,
Et flammante furore Gothus, consumpsit inani
Prælia Gradivo, vacuavit castra sagittis
Implevit nec vota, fugâ contentus inerti.
Una tot assultus, tot juramenta fefellit
In propriam conversa necem, inconcussa pavore,
Germanis objecta minis, sed robore firmo
Adversus munita minas; suffusa madenti
Atq; paludo â terrentia mœnia, fossâ
E muri, frontem speculæ, cervice levantes
Prospiciunt urbi, à longeq; pericula pellunt
Obductis tumidis aditus in mœnia vallis
Obstructæq; jugis portæ ceu mole Riphæâ
Sola timent, terris jaculantia fulmina Cæli,
Explodendo hostis furias, Martemq; minacem.
Allambente Pater Vartensi vortice muros
Neptunus currens venientes submovet iras,
Implicat & cœno tardatq; uligine pingui.
Hæc [illegible] defixus propugnacula Lechus,

(a) Ex Libro edito Posnaniæ sub titulo: Stragona.

Ad-

Adversæ timuêre manus non viribus ausæ,
Non turpi temerare dolo. irrupere dolendo,
Corrupêre vias amente sed impete Fata.
Cingite ferratis Cyclopes oppida muris
Et bene Carpathiis involvite mænia vallis
Fata viam invenient, patet omnis janua morti
Sic valvæ patuêre tuæ Posnania, Parcæ
Hâud parcè vestros perimenti funere Cives.
Sexcentos & mille, volans renovaverat annos
Titan, sex denis cum augeret tempora lustris;
Sarmaticos invasit agros, populata Triones
Et populos funesta lues. Non mænibus urbes
Obstiterant. Forres tumidis non turribus arces
Terruerant. Madidis nec, tuta Palatia fossis
Obstruxêre vias; alto non aggere villæ
Impediêre malum serpens. Trajecit & undas
Et fluvios & stagna vado remorantia passus,
Absq; mora crudele genu superavit, & Euros
Excessit volucri plantâ. Ridentia, planctu
Gaudia confudit; laceravit questibus udas
Et lachrymis malas; spoliavit pectora vitâ
Et plaudente salute sinus. Jam lugubre funus
Lechia tota fuit, tumuli campiq; parentes.
Deliciumq; horti vultûs, riguêre sepulchris
Sub tot Cæsorum funesta mole gementes,
Et fuerat Patrius, Sardinia tristior, orbis.
Tunc correpta malo Posnania flevit eodem
Et tantùm, fuerat fletu madeisse levamen.
Fatum dum miseros tabo depascitur artus
Et furit exustis lethalis flamma medullis
Palluerant primùm siccato sanguine venæ,
Vitalis demum pavidis cum pulsus ab ulnis
Cessit & ore vigor, lethales pallor in umbras
Iverat, & gelido stupuerunt funere membra.
Una falce Patres, juvenesq; senesq; cadebant.
Decrepitis annexa viris florentior ætas

Triste

Tristè metebatur; Cives, plebs, cæde sub una
Atq; Magistratus, cultores atq; coloni
Telluris, prono coluerunt vertice terras,
Audaces acri sciderant quas vomere nuper.
Sic letho grassante, spei læsumq; fugante
Omen, nulla quies miseris. Defessa jacebant
Corpora; non locus in tumulos, non locus in urnas
Non vespillones, non sufferêre sepulchra.

Dum serpit vesana lues, tantæq; latebat
Cladis origo nocens, pugnatum est arte medendi,
Oppositus morti Hyppocrates, fatoq; Galenus
Sed morbi vis major erat; Spes omnis in herba
Marcuerat medica; Lachesi cessere Magistri
Phyllyrides Chiron, Amithaoniusq; Melampus.
Una parem forsan doluit Florentia cladem
Cum terdena suos amisit millia Cives.
Pestifero perimente malo, Byzantica tellus
Vel simili gemuit Patrum sub cæde suorum,
Cum tercenta virûm tumulavit millia peste.
Flesset Democritus, risum jecisset ab ore
Vidisset si Fata urbis, stragemq; nocentem,
Illachrymaretur commota dolore vel ipsa
Parca ferox, cæco casus si lumine posset
Aspexisse, truces ageret compassio fibras.
Providus indoluit Thulibowski Ansistes, amatæ
Devotæq; suis venerandis nutibus urbi.
Præsuleis tristes concussit questibus auras
Erectis precibus superûm molliret ut aures.
Nec dolor in verbis hæsit; compassio voce
Non solâ conclusa stetit, conatibus aptam
Tot damnis quærebat opem; lustrare refertos
Instituit arte libros, veteris præscripta Galeni
Pæonisq; herbis celebrata volumina, volvit;
Nulla sed evolvit quæsitam pagina vitam.
Votis ergo Polos, votisq; lacessere blandum
Numen, ait, spes una mihi, fractaq; saluti.

Astra dabunt quod terra negat. Superabit olympus
Succumbit cui triste solum. Sors fausta redibit
Nobiliore tibi urbs, applaudet & alea jactu
Sors superûm vestras subeat si Kostka ruinas.
Ut Rochum quondam vix natum corpore sparsæ
Scribuntur signasse Cruces per membra rubentes,
Auspicium, crucibus figendæ hoc præside, pestis.
Civibus hæc superisq; favens Thulibovius, ore
Addictoq; tulit Præsul vix corde, calenti
Excepêre sinu svadentis vota Parentis
Concepto in Kostkam nutus fervore probantes
Cives cum populo, prompta cum plebe senatus
Patres cum natis, tenerâ cum virgine Matres
Juravêre suum præsenti in strage Patronum
Stanslaum, votiva ferentes Nomina Kostcæ.
Pulchro dispositis populi mox ordine turmis
Instructaq; acie magni de laude Patroni
Certatum, pugnabat amor, super artubus; alma
Dux Pietas fuerat, fuerat Dux Præsul & alter.
Cujus supremo supplex processio svasu
Per patulas indicta vias, lætasq; plateas
Hospite Stanslao, plausu comitante forensi,
Et festos augente Polo Divisq; triumphos,
Vocibus erectis humili, sub sidera cantu
Et Kostkam clamante sono, perterruit ingens
Pallenti cum clade malum, pestemq; fugavit
Effuso strepitu tremefactam. Fixit ut ædi (a)
Posniacæ Cathedræ ductos in imagine vultus
Stanslai, confixa velut mucrone, recessit
Et cecidit bene cæsa lues. Vix Kostulus aras

Tar-

(a) Svasu Thulibovii Antistitis ubi solenni Processione Civitas cum omnibus Spiritualibus cleroq; in Templū cathedrale iconem B. Kostcæ detulit, exnunc ferale pestis incendium subito remisit; testante tota ipsa Civitate apud P. Tylkowski Lib: 2. vitæ. c. 6.

Tartareas mox pestis haras expulsa petivit;
Dixisses orti bubones lumina i habi
In cæcas fugisse specus; vel luce sequente,
Pigram Cymmerias noctem cessisse sub oras.
Dicite Kostkanæ, populi miracula formæ
Delicium superûm, superûm vulgate stuporem
Angelicæ terris monumenta relicta juventæ
Dicite vel vitæ vivum pietatis honorem;
Fatorum scopulum, Herculeam vel Musa columnam,
Hanc cum Vate feret, subscribens lemma tabellæ:
Non plus concessum Fatis, pestiq. nec ultra.
At Tu votorum compos Posnania, compos
Kostkanæ, quam poscis, opis; fateare Polono
Regno, Sarmaticis fatearis & urbibus; almâ
Num licuit Kostkam urbanum novisse sub urbe?
Et licuit; facilem libuit cum in vota probare.
Et Te, Russiacis Augusta Leopolis oris
A largo concessa Polo, velut unio conchæ
Ruthenis infusa plagis, Kostkana meretur
Et vocat in medium locupletem gloria testem.
Non incerta tuo confidit Musa favori
Patronæ documenta petens illustria famæ,
Russia, quà Turcis habitatum vergit ad ortum
Respicit Eoumq; jubar, gens clara Togatis
Purpureo splendore viris, semperq; recenti
Heroum sub luce nitens, impervia nocti
Occasusq; ignara mali; Descripta, beatis
Viscere fæcundo jucunda Leopolis agris
Extollit tellure caput, totisq, coronas
Tempora sideribus, collo penetrantibus axem
Undiq; circumsepta jugis, prægressa superbum
Excelsâ sed mente jugum; sublimibus audax
Urbs animis, opibusq; potens; cerisq; Leonem,
Inconcusso & corde gerens stat mænibus horrens
Et vallis, omniq, loci munimine fortis
Quo solet allidi frangiq, Othomannicus ardor.

Fortius

Fortiùs at validis, velut olim Spartha Lacænis
Pro muro munita viris Quas convehit Jon
Et felix apportat Arabs, quas Armenus auget
Et Daco comitante Phryges, Pontusq; ministrat
Collectas concludit opes. Hic integer orbis
Unâ. quidquid habet pretii miratus in urbe
Se tali claudi gremio gaudetq́, stupetq́,
Sed minus ambito pretium quod manat ab orbe,
Fama minor, Martis valido, quæ creverat ausu.
Temno Lucullæo pretiosas munere gazas
Et tumefacta Midæ, Cræsiq́, æraria, censu
Rideo, Lydorum cumulis si divite tecto
Absumptæ pietatis opes, nullâq́, tumescant
Relligione lares, superûm careantq́, beatis
Divitiis, fies miserô magis indigus Irô,
Codrô pauperior, plenâ licet aurea pridem
Turgescat tibi gaza manu, vacuatus amæna
Si squallet probitate sinus. Sine sidere Cælum,
Phæbeum sine luce jubar, sine fructibus arbos,
Absq; gravi ratione caput, sine pollice mucro,
Absque ope Relligionis, opes; sine numine nummi.
Sed nunquid Divina tuæ, urbs primaria, mæret
Res angusta domi? tectis num major ab auro
Quam pietate nitor? num Numinis indiga, nummis
Candorem argento, pretium virtutis & auro
Supples & claris rutilantia sidera gemmis
Præ nivea cervice refers? tantumque Palato
Arridet Cælum, terræ quod fertur ab ulnis?
Jgnorat roseas axi splendescere tædas
Nescit Titanisque jubar, mundoque serenas
Non novit properare dies, ignorat olympi
Qui cultus urbs sancta tuos. Urbs Roma Polono
Nobilior pietate solo. Quot tecta, quot ædes
Tot superis delubra fovens; quot viscere Cives
Tot probitate Numas, tot opum splendore Lucullos.
Non sibi blanditur, Divûm dotata favore

Mundi

Mundi Roma caput, grandisque Cracovia, Regni
Frons Lechici, cultrix Cæli capitalis, amænis
Undique plena focis, sanctisque altaribus ardens
Lemburgi mirata foro, celsisque plateis
Urbanisque viis luctantia in àëra Templa
Surgentesque tholos, magnique palatia Regis
Ausonios rutilo vultu superare Penates
Et tumidas quondam Persarum sumptibus aulas.
Percensere tuos, sanctos quos fundis in omnes
Urbs, quæ Musa queat cultus, quæ dicere Clio?
Qui vates numerare metris? in culmina centum
Rupisset Facunda jugum si tempora bifrons
Centeno streperet Phæbeus murmure torrens
Et millena novem implerent oracula Musæ.
Et quot Parnasso frondes, tot plectra sonarent
Barbitha tot, riguis pulsarent cantibus astra
Sufficerent non ista tuos vulgare calores.
Sed taceant, si cuncta, silent si multa cothurni
Unum, Kostkanæ flagras quo laudis, amorem
Si pergant, celebrare fides, si tendere nervi
Lassabis Cytharas, famâ complebis & orbem
Et famæ pretio Regnorum encomia vinces.
Flectite pupillam vasta tellure Triones
Disjecti, occiduo gentes sub sole jacentes
Et quæ surgentem miramini ab æquore Phæbum
Flectite in illustres flamma plaudente plateas
Lemburgique forum; felix lux nomine Kostcæ
Instat, & ardenti dum jam promittitur urbi
Feria; juratis sancto devota triumphis.
Ut Turris speciosa sacros superinduit ignes
Millenâ ridens præ vertice, lampade, raptam
Ut geminat splendore diem per noctis opaca.
Multiplicem gremio succendens lampada sponsum
Ut vigil exspectat sponsato pectore Kostkam.
Dixisses mundano errantibus æquore, lucem
Indulgere Pharum, pavidis littusque patronum.
In

In mare me laudum mittam Stanslae tuarum
Exemptus metui vitabo pericula, vatem
Ad portum reget ista Pharos.
Sed Turris non sola calens conflagrat amore
Victima Kostkani plausus. Per tecta, per ædes
(Gratâ detraherent Superis quæ numina fonte)
Et per Mygdonio penetralia candida saxo
Lumina circumfer, pendentes serpere flammas
Per domuum facies, per & atria lucida, fronte
Quæ turrim aspiciunt, rutilo mirabere cultu.
Icone Kostkana famulis fervente lucernis
Limina nulla vacant, possint ut clade vacare,
Stanslai vultu præcingunt ægide tanquam
Præcluduntq; viam Fatis, patulasq; fenestras
Ornando, temnunt Serum, sparia filis
Texta, & Achæmenio conflatas vellere vestes.
Mox ubi læta triumphales processio calles
Nobilibus stipata choris, stipata juventâ
(Quali nec Francis gaudet Sorbona Lycæis)
Per stratas ingressa vias invisit alacre
Et supplex in vota forum, quis ab artubus ardor?
In Kostkam erumpit festos quæ flamma per ignes?
Flammarum pars una solo, pars nubibus hæret
Altera, prorumpunt plaudentia fulmina palmis
Flagrantis Sanctos jaculantia pectoris actus,
Accendant ut amore Polum, nituntur in astra
Et feriunt nubes, fingit quos Mulciber, ignes.
Ignibus admisti, ignita de mente calores
Ejecti, nubes volucri pernicius Euro
Scindebant; plantis proni allapsiq; Beati
Surgeret illustris Stanslao, ut fama, cadebant;
Formosi verò, Kostkano vertice currus,
Currus sub sancto salientes pondere, Currus
Russiaci sumptûs lecta sub mole gementes
Urbis quâ gremio se Majestate ferebant
Illustris Titi, magni Deciiq; coruscas

Extinxêre rotas facie fastuq; nitore.
Horum frena ferox missa cervice subiret
Bucephalus, Pyrois loris Æous & Æthon
Colla Phlegonq, darent, festisq; hinnitibus auras
Candida vel roseis pinxissent compita spumis.
In cantus excita cohors, allecta triumpho
Vicerat Aonides modulis, mulcente susurro
Et flectente Polos, vitiavit carmina svavis
Chrysogoni, Lesbis pretium minuitq; camænis
Et sua Terpandri risit modulamina; crudos (a)
Qui fidibus mollire animos, qui pectora sævis
Inflammata odiis novit componere cantu.
Nube repercussæ dulci modulamine voces
Aéris inque sinum per labra diserta relapsæ
Turbabant refluis concussum plausibus axem
Turba, pigrâ sed pace fuit speciosior. Æthra
Æmula votivi sonitûs, in sacra ciebat
Sibila, stridentes, nimbi super atria, ventos.
Carpserat hæc facili, Superum de sede Patronus
Aure Stanislaus, votos condivit amore
Applausus, dignosq, supremæ nomine famæ,
Dignos censuerat dum Kostcæ nomine, fecit.
Cultibus urbanis, documenta urbana rependit,
A volucri flamma ferventem accendit amorem
Urbis, & addictas concepit pectore flammas.
Ad Currus fertur. Fortunæ sorte perenni
Aptavisse rotam, Lechico inseruisse vel axi.
Ad votos cantus, lætum pæana paravit
Quo, post elusos risisse Leoppolis ictus
Posset, & infensos lethi incantasse furores.
Nec vatum figmenta cano; vatemq! jocosum
Præfero, Kostkanos scribens super urbe favores.
Pellunt mira jocos, decedit fabula veris.
Sexcentas postquam numerassent sæcula brumas
Milleq;, trusissent de viscere jugera messes
Tertius instabat mundo & vigesimus annus

(a) Ravisius in theatro.

Lem-

Lemburgo qui triſtis erat; carbone notandus
In quem graſſanti correpta ſuburbia, flammâ
Coxerat. Jliacas geminans hac clade ruinas.
Neſcio, quo Fato, quâ neſcio Numinis irâ
Et conjurato flammarum fœdere, mites
Triſtè, ſuburbanas torrentibus ignibus ædes
Invaſit Vulcanus atrox. Per tecta, paventes
Perq; domos, per Templa, Ducum per culmina, mæſtos
A fato accelerante lares, incendia ſparſit
Ac unà Divumq́, hominumq́; palatia flammâ
Involvit, plateaſq́; rogo concluſit eodem.
Vulcanum juvêre Noti. Boreaſq́, patenti
Ore ciens ignes, irritans flatibus Auſter
Per prope ſurgentes, cladem circumtulit aulas.
Fumant unanimi præcincta palatia Fato
Saxa liquent, pallent muri, laquearia fractis
Conquaſſata ruunt tectis, fluitante metallo
Mænia deplorant liquido cum pariête caſum.
Fronte minabantur turres quæ nuper olympo
Procumbunt humiles grandis ſub pondere damni
Et cinere aſperſæ faſtum doluiſſe jubentur.
Aurato flammas mentiti vertice vultus
Fumoſæq́, Patrum effigies, ſub ſidera fumant
Vaneſcuntq́, ut fumus iners, torquentq́; liquentem
Pupillam in lachrymas deplorantemq́; dolorem.
Necq́, ſuburbanos ſatis eſt vaſtaſſe Penates,
Trans muros, volucres jaculatur Mulciber ignes
Et ſpargente Euro rapidas per nubila tædas
In medios carbone ſinus, in tecta feruntur
Urbis, & effuſæ volitant per inane favillæ.
Turbatur, turbata tremit, tremefacta paveſcit
Et pavefacta riget gelido percuſſa timore
Urbs, undæ perquirit opem, ſuper àëra fontes
Evibrat, effrenem Neptuno extinguere pergit
Vulcanum, fera diluviis incendia frenat
Tollit & exhauſtum, urentem ſuper æthera, flumen.

Sed frustra sudâre manus, non palma nocenti
De flamma retulit palmam; non flumina prosunt
Non vires hominum, terris allidit adustos
Impia tæda lares, obscuris clara ruinis.
Ergo suas periisse videns perculsa medelas
Atque fatigatas frustra tot aqualibus undas
Absorptos situlis fluvios, puteosq; vacantes,
In superos mentem tollit sub sidera palmas
Inq, preces cogit titubantia verba pavore
Succumbens urbs mæsta malo. Per prima lacessit
Vota Stanislaum, primis tutoribus urbis
Adscriptum; sic fortis, opis fiducia jussit.

Ærumnis spes certa meis Stanslae, gemebat,
Spes & in extremis solamen grande periclis
Et male condita fractæ sub sorte juvamen,
In lugubre forum pupillam flecte Patronam
Flecte sinum, mitesq; genas, vultuq; beato
Tinge domos, dignare lares & mænia cerne
Mænia sacrilegis circumvallata favillis.
Hisne Tibi Lemburg flagrabit victima flammis
In medio combusta foro? num corde calores
Desunt? queîs propriis flagrent holocausta sub ulnis?
Votivæ deerant nunquid per compita tædæ
Et per tecta foci? sanctis fervoribus unus
Exarsit num calle rogus? Quo tota perennes
Urbs, tibi Dive puer devota liquebat in ignes.
Si flagrare juvat, supplex incendia posco
Queîs fibræ caluêre tuæ, cum exureret ignis
Consumens, niveas æstu recreante medullas.
Hos accende sinu, patefacto hos instrue corde
Oro rogos, expelle truces ex ædibus ignes

Fune-

Funereas ex urbe faces; sub pectora migrent
Sed blandâ cicures Superûm dulcedine, flammæ.
Finiit effusas urbs spe subnixa querelas,
Incepit cum vota Puer lassata pavore
Optatis implere modis, murosq; petenti
Obvius ire foco, flammis non obvius hostis.
Quâ nimis audaci trepidantem Mulciber urbem
Terruit assultu, portasq, involverat igni,
Æthereo paruit Stanslaus in àére vultu
Opposuitq, minas flammis, calidoq; furori
Pectoris ardores; Vulcano, Numen in imis
Ardescens sublime fibris. Quæ, brachia pullo
Pallia cinxerunt fluxu, communia natis
Jgnatii his flammam Kostka (a) assiliendo tenacem
Tela velut clypeo vacuas pellebat in auras.
(Criminis insano male quisquis adureris æstu
Atq; malignanti mundi corrumpere febri,
Mente placet, gremioq, Stygis si pellere flammas
Pallia Lojolæ superindue suadeo Patris.)
Desuper effuso tanquam de nubibus imbre
Aut ex axe cadente vado foret obrutus; unâ
Vulcanus propriis tumulatus stragi ruinis,
Corruit in Patriam compulsus Mulciber Æthnam
Herculeâ Kostcæ dextrâ pellente, recessit.
Cum velut à Catanæ (b) terrentia pallia muris
Consecrata Agathæ gremio procul urbe Leonis (c)
Russiaci de sede Ducis; Kostkana fugarent
Pallia grassantem per rapta suburbia cladem.
Plaude, pyras tibi flamma struit compressa, futurus

(a) Visus pallio suo Novitiatico assilientem flammam repellere, flammamq; illico ea parte, qua sinuabatur pallium, cedere. Tylkovvski & Oborski. (b) Pallio S. Agathæ ab urbe Catana Siciliæ, Vesuvij incendia pelluntur. (c) Leopolis sedes Ducum Russiæ, & Leonis Principis à quo condita.

Clarior extinctis victor Stanslae favillis.
Ut post ignitum pressum, cedente nitore
Eclypsi vitiante globum, meliore Diana
Vertice, per croceos resplendet clara Penates
Crebraq; per Divûm penetralia, stella rubescit.
Turpis ab accensa Latonæ Herostratus (a) æde
Turpior à Latii accensis Nero tristè theatris,
Pulcher ab oppressa cantabere Kostule flamma.
At Tibi flammivomo Lemburg erepta tremori
Æthneis erepta focis, cognoscere clare
Urbanum Kostcæ tanta sub luce favorem
Num licuit, placuitve? obscuros ipsa negabunt
Respectus, extincta suis incendia fumis;
Et cinis in celsos consurget in astra colossos
Kostkanæ monumenta manus; tenuesq, favillæ
Patronum, volitando strepent sub sidera Nomen.
Quid verò Scythicas pulsas à mænibus iras
Cosacicum q; chaos, virus viresq, nefandas
Stanslai fugisse minas memoravero? supplex
In Divum, impatiens Fati, cum vota vibrares.
Ut largo placuisse tui de pollice Kostcæ
Munera sparsa tibi, possent, repetita fuérunt. (b)
Nuper in augustos Lechiæ fædifraga Reges
Cosacicis instructa dolis, firmata manîplis
Et Scythico nexu surrecta rebellio, fines
Sarmaticos latrociniis, prædante cohorte
Oppida; Vastatore globo confinia; Vicos
Depopulante aggressa Tribu, serpente per urbes
Et per rura gradu, sortes, granaria, vitam,
Et charas rapuit nullo discrimine proles.
Dum nullo veluti procurreret obice flamma
Obvia tecta vorans, labens velut aggere fracto
Prataq, vernantesq; vadum corrumperet hortos;
Obstitit hostiles contra, munita furores

Viri-

(a) Qui ut se vocalē orbi faceret, Dianæ Ephesinæ Fanum celeberrimū incēdit. (b) Repetita placent. diverbiū?

Viribus urbs & voce Leo, vertitq; Gelonas
In sua tecta manus, in propria mœnia robur
Robur ab extremo contractum tramite mundi.
Eurus ut in validas acuit spiramina quercus;
Et non cedentes violentis flatibus Auster
Fortius oppugnat Turres, totisque tenaces
Viribus, exagitat pinus; sic impete toto
Tardantem sua tela, ferox gens impetit urbem.
Obsidione premit, vicina cohortibus urbi
Ambit & immenso disjectos milite campos
Armat, & obstructos vigili tenet agmine calles.
Semita nulla patet, propriarum nulla viarum
Gratia; vallatâ nullus digressus ab urbe
Nullus in urbanos aditus patet undique postes.
Sic extus dum Fata parat crudelior hostis,
Crudior intùs agit Cives & conficit hostis
Hostis amara fames, vacui jejunia ventris,
Roboris esuries victrix & mortis alumna
Funeris atque Parens; denudat membra vigore
Circumdat pallore genas, torpedine malas.
Exangues vultus macie, & squallore peresi
Apparent Triviis. Credas horrentia turpi
Membra situ, gelidis jam nunc exire sepulchris.
Deficiunt in bella manus, jejuna fatiscunt
Pectora, mole soporatis magis apta grabatis
Urbis quam validis tutandis mœnibus armis.
Flens vacuo plebs ventre latrant; ululatibus ædes
Compita continuis reboant tremefacta querelis
Æther & amenti planctu turbatur; Olympus
Vocali mærore strepit nubesque molesto
Murmure scinduntur, finduntur sidera luctu.
Uni dum gemino, plebi trepidatur ab hoste
Imminet & gemino, cervici funere Parca,
Terret dura fames, Cosacicus angit & ensis
Hic caput, illa fibras. Quanam sub clade cadendum?
Quæ mors, Fatorum tristi sit sorte legenda,

Consulitur, sed consilium formidat utrumque
Plebs non prompta mori. Tamen elig't ire sub enses
Et sævi sub lora Getæ, quàm sponte vagantem
Visceribus nutrire famem. Jam vota precesque
Ad Scythicos fundenda pedes componit & unam,
(Flectere si poterit) meditatur poscere vitam.
Ad superos deflecte preces, in Numen amores
Votiva sub voce refer, plebs fracta pavore.
Votanè vana cadunt, superis quæ vota feruntur ?
Votanè delectat gelido condita timore
Cosacicis afferre minis? quam Numini, amore
Excoctos facili cum pectore promere cultus?
Non periit sub clade miser, qui sidera votis
Quassavit, Fati ne quassaretur ab ictu.
Expertus sub nocte diem, super æquore littus;
Horrentesque super lethali tabe grabatos
Surgere visa salus, mæstis & vita sub urnis;
Esurie grassante dapes, cum vota litaret
Non jejuna Polo, convivia tota pluebat
Axis, & è largo manaverat imbre coturnix.
Quod vates, mens mitis idem stillaverat urbi,
Ingessitque Polum cordi; precibusque Patronum,
Haud pridem, Kostkam, felici sorte probatum.
Jam firmata semel læto fiducia casu
Urget in acclinem defessæ quæstibus oræ
Ora Stanislaum, promptasque assurgere voces
Et plenos in vota sinus, pietate resolvi.
Plena spei, cedente metu, subeunte trementes
Lætitiâ per labra fibras, instante Beato
Luce sacra, facilis svadenti paret & imos
Labitur in cultus urbs plorabunda, Patroni;
Et lachrymas & verba ciet, singultibus orat;
In voces lachrymæ, fibræ constantur in ora
Facundæ, dum labra tacent, guttæque perorant.
Dum premit ora dolor; facunda silentia mulcent
Kostkanas aures, nomen jurantque perenni

In terras sparsura sono, scriptura futuris
Non moriente Stylo lustris, pulchroque sub axem
Erectura decus, votis cum mille, trophæo.
Nondum finierat lachrymosâ voce querelas
Urbs mærore gravis, nondum lamenta stetêre
Et salsos nondum siccarunt lumina fluctus
Diluviumque genæ, cum Kostka vocatus ab astris
Ilicet induto melioris corpore Martis
Atque supercilio, Ignatii velut ægide veste
(Verus & à pigro, Lojolæ, funere natus)
Prominet è pavidis ad Dacica spicula muris
Intentatque minas, patulisque è fulmina labris
Terroresque vibrat vultu, spiratque Gradivum
Vincendum nullo millenæ robore turmæ.
Obstupet imprimis demum miratur & hæret
Et mirando pavet, pavidus palletque rigetque
Defixas stringente manus, artusque tremore.
Tum velut accipitris perculsæ fronte columbæ
Mandat castra fugæ Sons Cosacus ocyor Euro
Diffugiendo Scythæ trepida formidine, campos
Linquentes, dumeta petunt, cæcosque recessus
Ignotumque nemus, tenues ceu fumus in auras
Dissiliunt, vix arva manent ubi castra stetêre.
Vicisti, gladio non confligente maniplos
Non certante manu, Lemburg festiva Gelonos
Hostilemque manum. Geticum vicisse furorem
Kostka tibi vidisse satis. Pellentur in umbras,
Tinxeris Angelico vix noxia lumine Fata.
Lumina credo duos niveo præ vertice soles
Dive tuo, Scythicæ quibus obvia cornua Lunæ
Defecere tuo jussæ fulgore latentes,
Ut, cum sol superos aspergit Luce Penates.
Hæc documenta Tui Kostka urbanissimi in urbes
Cordis Musa tulit; quodsi percenseat omnes,
Oppida queîs tutor ditasti magne, favores?
Quid Premislenses (a) Græca obsidione solutos

(a) Vide Tylkovvski Lib: 2, c, 5, Schi-

Schismaticaque canam spoliatos compede muros?
Cessit ubi obsessis Kostkanum thessera Nomen.
Quidsi Varsaviâ (a) proscriptam scripsero pestem
Pulsaque Lubliacis (b) contagia crebra plateis,
Atque Jaroslaviæ extinctas in viscere mortes,
Votivo cultu fuerat cum Kostka vocatus?
Non mihi sufficiet, Phæbi præ colle diserto
Milleno si Musa stylo colludat, & omnem
Tota mihi, Phocidis despument stagna susurrum
Totus & Aonio torrens decurrat ab arvo.
Supplex plura fides prono comprendet adorans
Poplite, quam fidibus propellet pollice vates.
Vos verò urbanum si credere pergitis urbes
Quæritis & fieri Kostkam, quæ regula moris
Urbani, vigiles attendite, quæve Politis
Lex præfixa viris: *Ut ameris, amato vicissim.*

[a Vide Tylkowski Lib: 2. c. 6. b Ibidem.

JLLUSTRIA D. KOSTCÆ MIRACULA

Posnaniæ Patrata

Sylvis Poëticis adumbrata

Carmen Decimum Tertium.

Miraculum Primum.

R. P. Premislai Rudnicki Professoris protunc Theologiæ gingiva, admoto dente D. Stanislai, prodigiosè sanatur. (a)

DOctorum tibi prima fuit pie PuSio cura
Nec rudibus rudimentaTui committis amoris,

(a) P. Oborski & P. Tylkowski.

Est doctis vel ab axe favor. Delectat olympum,
Delectat quem cura Deum, superosve sciendi.
Talis erat, Lojola tuus Rudniccius, orbe
Sarmatico celebris, Lechica celebrandus & urbe
Posnaniâ, Theo(a)llogicis hunc palma triumphis
Et plusquam humano Divina scientia cultu
Extulit, & sacro Numen commisit honori.
Sed dolor, emeritos solitâ qui fraude lacessit
Et lacerat crudelè viros; aggressus acerbâ
Clade Premislaum dentes invasit; amænam
Roderet ut vitam, corroderet atq; salutem.
Et capiti discrimen erat, frons ipsa timebat
Namq; dolor capitalis erat, cruciatus & effrons.
Forcipe, svasum erat, evelli pateretur aduncâ
Qvi convellebat mentum, sine mente furendo.
At male consilium cessit: dens forcipe fractus
Hæserat, & toto languet gingiva dolore.
Nulla quies relevat, consveti nulla laboris
Ægro commoditas, querulum sola otia torquent.
Pæonis dum nulla juvat, dum nulla Galeni
Proficit ars, superûm implorata potentia juvit.
Lipsanotheca Sacrum claudebat viscere dentem
Kostcæ, tabifico quem vix admoverat ori
Et dentem pro dente dedit; festinus abactus
Cessit dente dolor. *Mediis curatur iisdem*
Sæpe malum, quibus invaluit, viresq; paravit.
Sed Tu dentatos Curios Posnania temne;
Tempus edax rerum, minime tibi dente nocebit,
Ejus, Kostka, ferox (credas) hebetabit acumen.

Secundum.

Joannes Zadorski Aulicus Andreæ Opalinski Episcopi Posnaniensis in lethali morbo, à medicis derelictus spe nulla valetudinis, & usu loquendi amisso, Illu-
strissimo

(a) Ly The produxit R. Sarbievvski in Epigr.

strissimo Antistite votum B. Kostcæ pro sua incolumitate litante eiusq; Reliquias pectori applicante, in voces erupit, viribus, brevì & sanitati restitutus P. Oborski pag: 24.

ET Tu Posniacis Præsul formose Tyaris,
Præsul Opalenio fusus de sanguine, navi
Patritiâ, Astriferum pridem transvecte sub orbem.
Tu quoque Kostkanæ portenta fatebere dextræ
Munificâ quæ sorte tuam delapsa sub aulam
Aulam prodigiis, Te Præsul amore replevit.
Fidus ab obsequiis, populari voce Zadorski
Servus erat, quem fovit amor bene, Præsidis. Idem
Sed morbi quoq; servus erat. Parebat utriq;
Sed morbi mandata magis, licet æger obibat.
Et fuerant prompti, ærumnæ, stipendia, servi.
Indoluit famulo clemens Antistes; opemque
Quam potuit conferre tulit, celer arte medendi
Accivit celebres Lechico super orbe Galenos.
Sed quæ servabantur opi tormenta supernæ
Noluerant hominum medicæ succumbere dextræ.
Vix fuit oblatus votis comitantibus æger
Præsule agente vadem, fuerat vix Kostka vocatus
Divus in auxilium; revocatus corpore languor
Cessit in exilium. Vix ægri, lipsana, pectus
Attigerant, hæc ossa celer mors ossea fugit.
Relliquiæ fecêre animam sub corde relinqui.
Relliquiæ ergo diem celebrent non simplice, Festum
Cultu, primæ classis erant, quæ mira patrârunt.

Tertium.

Ejusdem Antistitis famulus alter, Martinus, febri extremè decumbens, attactu sacri Kostkani pignoris illico sibi redditus. Idem.

Et

ET superis repetita placent. Concessa secundis
Hi repetunt dum terra petis; sed munera nosce
Prima, secunda licet. Superi nisi prima secundant.
Rursus adit famulos, repetunt Antistitis aulam
Fata Opalenii. Sed quo lethalis, eòdem
Lætior æthereo succurrit ab axe potestas.
Ex famulis Martinus erat, quem febris adurens
Sæva vagabatur calidi per corporis artus
Et gelidus licet, ossa pavor quassabat; ab igne
Addidicit fervere timor; febris alsit ab illo.
Sic unus gemino prosternitur æger ab æstu.
Sic calet effusis dum clauso viscere flammis
Jam plane in cinerem male membra resolverat ignis
Atq; sepulchrali, sese tumulabat arenâ.
Cum subitò à Kostka in Martis productus arenam
Sternitur; ex acie pulsus, venisq; fugatus.
Nam vix suppetias ut ferret Kostka rogatus
Adfuit infirmo, sed firmo robore, morbo
Obstitit; attactuq; sui bene liberat ossis
A flammis, Paphio liber qui vixit ab igne.

Quartum.

STanislaus filius Civis Posn: à petulante puero è glacie in fluvium detrusus, ab aquis suffocatus, extractus, ab advenientibus casu binis S. J. Magistris, ferventer Beato commendatus, revixit. Idem. pag: 25.

QVi de funereis extinctis ignibus ignes
Kostka triumphales meruit, vel busta pyrasq;
Festivosq; rogos. Rapidis de fontibus idem
Sæpe triumphavit. Firmam sic omnia Kostcæ
Servarunt elementa fidem.
Filius annorum fuerat bis quinque, Parente
Posnensi de Cive satus, faustoque beatus,
Nomine Stanslai. Sed dum cum Nomine mores

Pugnabant, victus cecidit puer actus in undas;
Juverat & lapsum pueri male labilis ætas.
Ad ripam gelidi Sociis colluserat amnis
Sed ludus feralis erat. Qua luserat arte
Infans, hac illusit atrox Libytina puello.
Prole leves impube jocos, risusque juvante
Detrusus petulante manu de margine, fluctus
Corruit in rapidos, glaciei pondere pressus.
Inque molæ properante rotam delatus ab unda
Fortunæque rotam, vitamq; amisit amœnam.
Dum luctus reboant, strident lamenta Parentum
Et lachrymæ lachrymas superant, gemitusq; querelas
Fauste adérant socii Kostcæ, de prole Lojlæ
Qui svasêre Patri, mæstæ svasêre Parenti
Votis Stanislao pro merso infante litare.
Præbuit assensum, facilis parebat uterque
Vix data vota Polo, rediit mox vita puello.
Qui fontem Vitæ gestabat sva vibus ulnis
Kostka, haustam fregit facilis, de flumine mortem.

Quintum.

STanner Burgrabius arcis Posn: in fatalem febrim calidam prolapsus, & usu sensuum privatus; aliquantum ad se rediens, svasu adstantium, ubi B. Kostkam ingeminavit, omne malum amisit.

QVi vitæ Fontem fovit sub pectore vivum
Ferales iterum Divus compescuit ignes.
Hac, quisquis ferves extingue incendia lympha.
Arsit Posnensis Stanner Burgrabius Arcis
Ast arcere parum potuit de corde febriles
Fatalesque è carne faces; ut tristè flagrarent
Eripuêre viri vitæ de pectore lucem.
Et fuit extingui, arderet cum febris in ulmis.
Bis septem jacuit decumbens lucibus æger
Sed luces misero feralior umbra fuêre;

Nam lecto supplente struem, referente grabato
Fervescente pyram, devotior hostia Parcæ,
Appromissa truci candebat victima Fato.
Spem medico nullam optatæ faciente salutis,
Sensus concusso cessit de corpore; Kostcæ
Persensit tamen ille manum; Manesq; vereri
Destitit ingeminans crebris singultibus: *O mi!*
Stanislae meis pridem spes unica rebus.
Dixit, & oppressi cecidêre sub artubus ignes,
Prono Stanslai, venerari nomina casu.
Numinis ardenti qui sæpe flagrabat amore
Kostulus, æthereis extinxerat ignibus ignes.

Sextum.

ALbertus Borck Filius Civis Posn: ulcere bubo dicto, genu incumbente depositus, nec à chirurgis, incisione ulceris majus periculum metuentibus adjutus, vix confugit ad veterem suum Patronum B. Kostkam, ulcus illico sponte dissilit. Idem pag: 30.

CEdite bubones, tenebrarum conscia proles,
Tænarii quos umbra foci. quos educat Orcus
Et lux fulminei torquet terroris adinstar.
Filius est lucis, delectant lumina Kostkam.
Nulla hunc mortalis corrupit criminis umbra,
Bubones igitur pellit, fugat ore tenebras.
Consulis urbani soboles Albertus, iniquo
Ulcere vexatus, (quod bubo nomine donat;
Omine bubo fuit, nam proxima Fata notavit)
Excoctus veluti ad gustum, irritabat anhelam
Mortis fronte famem; teneri quæ cordis avara
Conditum proprio ut posset servire palato
Miscuerat morbos; ne verò ferina deesset
Lugubri devota Deæ; cæco ulcere pastum
Bubonem apposuit. Mæsti genitorquê Parensq;
Funereas exosa dapes, mortisq; palatum,

E Gale:

E Galeniacis quæsivit aromata thecis
Quæ cupidum Parcæ possent corrumpere gustum
Dilectam effreniq; gulæ subducere prolem.
Sed cum mens vacuo Patrum deluditur ausu
Assequitur nec vota labor, mens jussit in astra
Ad tutelarem, pronum cor mittere Kostkam.
Et vix supremi tetigit penetrale Tonantis
Ad Kostcæ labendo pedes, detraxit ab axe
Sollicitum, terræ quævis in vota Patronum.
Justitiæ ille manu solem, gremioq; ferebat
Quem impatiens lucis vix vidit bubo, recessit.
Romanum si bubo forum plateasque revisit
Certa putabatur Romam afflictura ruina.
Hanc Tu non vereare tuis urbs fausta Plateis
Tam bene trans vestrum cum fugit mœnia bubo.

Septimum.

Joannes Filiolus Civis Posn: Borek, febri & ulceribus adeo exsiccatus ut sola cutis ossibus hæreret, costæq; facillime & ossa numerari possent, ab omnibus medicis derelictus, nam & lac sumere bina jam hebdomade non potens oblatus à Matre Beato Kostcæ vires recepit & sanitatem.

IN Pueros Stanslae tener tua munera fundis
Et Teneris festinus ades vix Kostka vocaris,
Es Jesu Socius, pueros hic siverat ire
Atque suum stipare latus, non degener inde
Esse comes Christi, pueros dum stringis, haberis.
Primo vix cæptæ rorans ætatis in anno
Pusio Joannes, urbis de consule natus
Febribus in niveos artus grassantibus, ustus
Hæsit, siccatus vix inter & ossa cutemq;.
Dum vitæ spes nulla Patrem, spes nulla Parentem
Recreat & lacerant sævi tantummodo luctus
Succurrit festinus opem dans, Kostka rogatus.

Artubus & vires, redeunt & corpora costis
In costa plasmans, jussit dum Kostka, salutem.
Vis matura tuæ patuit bene Kostule dextræ
Maturum nondum, licet hæc sanaverat ægrum.
Palmæ si desint, desint si pulchra laborum
Præmia laurigeræ frondes; de flore juventæ,
Quem rigido pateris nunquam marcescere fato
Innectet tibi serta Polus.

Octavum.

Petrus Civis violento morbo in dementiam detrusus, attactus in capite Sacris lipsanis D. Kostcæ, sibi & rationi redditur. Idem.

IN natos largus, nec temnis Kostka Parentes.
Es Pater & Patribus, vel amans quasi mater haberis.
Petrus erat civis, Fatis jam proximus, & qui
Jactatus morbis, animam spirabat in urnam.
Ast anima è membris nondum; de mente recessit
Jam constans animus. Fractam dementia frontem
Invasit, demens sanos de corpore sensus.
Contigerant ubi triste caput sacra lipsana Kostcæ
Hoc faustæ caput esse spei portumq; patebat,
Jactati toties furibundis quæstibus ægri,
Esto bonæ mentis, mæstis urbs fracta ruinis
Non licet esse malæ, sanam dum Kostka refudit,
Ex amente legas, Kostkam te semper amantem.

Nonum.

Catharina Vincleri Consulis uxor, mortuos fætus edere solita, invocata ope B. Kostcæ fætum mortuum conspexit animatum.

DEbilis & sexus fortem Te Kostka fatetur.
Catharina fuit Vincleri Consulis uxor
Et Martyr Catharina fuit dum prole carebat.
Nescio quo Fato, Matris dominante sub alvo

Vix soboles concepta, fuit jam funere capta
Et vitæ mortisq; fuit thronus unus & idem
Vix dum vita suam sparsit per viscera lucem
Infecit tenebris feralibus Jlia, Parca.
Sic dum Mater erat natis crudelior urna
Funus erat prolis, genitricis funus amantis.
Verum Kostka salus natis anagrammate; natis
Nondum, certa salus meliori sorte fuisti.
Depulso letho Materno à viscere; lætas
Et soboli luces, & Matri gaudia reddis.
Fas quibus est nondum cælos solemq; tueri
Dum Matris sub corde latent, te sole cibantur
Et lucem capiunt; non est quem posse calore
A Kostcæ (a) abscondi fatear, tantiq; carere
Sideris influxu.

(a) Alluditur ad illud: Non est qui se abscondat à calore ejus.

POESIS ELEGIACA

ELEGIA PRIMA.

Argumentum.

Epistola B. Stanislai Kostcæ ad Beatissimam, quæ per S. Laurentium suum Patronum missâ, expetit annumerari, Triumphali comitatui, assumendæ in Cælos. P. Bielicki in Conc: de B. & Miles Christianus Posnaniæ impressus.

Hinc, ubi septenô luctatur in àéra clivô
Romulei gremio gloria fixa fori;
Hinc, ubi Tyrrheno colludunt murmura fluctu
Tuscus & Ausonias Albula frangit aquas;
I super Elysias, vel Tygride promptior oras
I super Astrigeros pagina missa lares.
Non Te Tarpeius tardet non mole Quirinus,
Audeat haud Hæmus nectere fronte moram.
Sibila frange Noti, Boream perfringe tenacem
Non Auster possit, vi retinere gradum.
Effuso Æolias prævertas impete pennas
Non licet in superos ire morante genu.
Nec Te concessis celeret Caducifer alis
Non placet Hermetis currere in astra pede.
Mercurium referet volucri Laurentius ulnâ
Ocyor ejecto, cùm petat astra, globo.
Mitis ubi, Divam te fixeris ante Parentem
Hæc queruli referes anxia vota sinûs;
Accipe votivam Genitrix dilecta salutem
Per Te, quæ nuper venit ab axe mihi.

Fracta per, excieras olim quam membra, Viennæ
Transmissam calidô perlege Virgo Stylo.
Perlege; sed cordis junctos intellige questus
Et desiderium percipe, mente meum.
Percipe solliciti suspiria proflua nati
Nati delicium Mater & Arrha Tui.
Non mihi, Thessalico madeant si prandia luxu
Offerat atq; Syras plena coquina dapes;
Esuriem non illa meam relevabit; anhelam
Non pellent gremiô fercula Persa famem.
Dalmata si plenô despument saxa Lyæo,
Jachio & erumpat sorbilis unda vado,
Non nostram recreare sitim par, pectoris æstus
Frangere, nec tremulas exhilarare fibras.
Collecto tumefacta auro, non fulva Luculli
Implebit vacuos munere Gaza sinus.
Fundat opes & dona Midas, æraria Cræsus
Inferat, inter opes mens latitabit inops.
India mittat ebur, voveat Piscaria gemmas
E molli trunco vellera carpta Seres.
Quidquid & orbis amat, nostros si condat in artus
Par desideriis non foret ille meis.
Sola potes frenare sitim, satiare famentem
Sola potes mentem Mater, & oro, velis.
Et quia Mater es oro velis; Materna recusant
Viscera, Filioli non meminisse tui.
Affer opem, quam ferre potes; concede Parentis
Hæredem, plausu nobiliore frui.
Post aliquot cum clara dies super astra vehêris
Cælituum Dominam concomitante choro;
Insere plaudenti socium me, poscô phalangi
Indulge ad tenerum Virginis ire latus.
Sive tuum placeat superis me dicere servum,
Oro suam possit cingere servus heram.
Sive Parentis amor vulget me nomine nati,
Quæso satus Matrem stipet in astra suam.

Uno,

Uno, subjectâ, Curru, devexit Idume
Plaudentem Titum Vespasianus ovans;
Et Pater & natus simili risêre triumpho
Una triumphantis Sors utriusq; fuit.
Edomito superis infernis Mater Averno
Et proli liceat cum genitrice vehi.
Te victrice Stygem licuit stravisse Viennæ
Te Ductrice hilares fas sit inire Polos.
Sive tuos Aquilæ sub nomine pinxero vultus,
Pullum, posco parens, ungue sub astra leves.
Sive tuos refluus Titan præcinxerat armos
Me, radiô, cinerem subtrahe quæso, jubar.
Quæsivit pupilla leves quam jacta per Auras
Te sine pupillum non sine flere gravem.

ELEGIA SECUNDA.

Argumentum.

E*pistola Beatissimæ V. responsoria præcedenti quam sub pulpito inventam à B. Stanislao, in hæc verba:* Videbis triumphum meum Stanislae in hora assumptionis meæ *tradit* Idem In Concione de Beato.

ACcipe de superis missam Stanslae salutem
Et respondentis verba Parentis habe.
Quam legis, à chara defertur Epistola Matre
Affectu Matris, matris arata Stylo.
Accipe Virgineas Cæleste volumen in ulnas
Materies Virgo, virgo papyrus avet.

Vulgari tamen illa potest si voce Papyri
Arbore de vitæ corticis omen habet.
Vota sitibundo legi condita calore.
Angelico dignam fervere pane famem.
Nobiliore satur luxu, convivia ride
Temne deauratas, ore famente dapes.
Paverat ~~esuries~~ vacuo quem pallida labro
Arridet Divis gratior ille, genis.
Qui cogit, pallere famis sub pondere malas
Crede mihi malas non habet ille malas.
Condiat Ambrosiis licet aurea pocula mundus
Ambrosiis cupido præfer in ore sitim.
Ebria nectareo fluitent toreumata succo
Nectare, ne libes, dulcior ista sitis.
Crede mihi pergit qui extinguere pectoris æstus
De mundi Cyathis, ardet & ille sitit.
Nate famesce, siti, melius satiaberis olim
Postquam paruerit gloria nostra Tibi. (a)
Noster ubi teneros applausus tinget ocellos
Cedet corde fames, cedet & ore sitis.
Lumine defixo veluti Jovis armiger ales
In Phæbum, temnit pabula, luce satur.
Terræ escas temnes, Aquilæ par pulle Polonæ
Videris illustres dum mihi sole (b) sinus.
Vitæ (c) ubi præcinctam profuso fonte stupebis,
E fibris fugient, æstus & ore calor.
Provida necq; diu Mater tua vota morabor
Non patiar longam cor hebetare moram.
Luce secuturâ plaudens cum reddar olympo
Cum vita lucem perdere perge puer.
Perdere perge puer nativam funere lucem
Fænore nobilius quo mereare jubar.
Stamina Parca secans nectet per tempora laurum
Morte

(a) Alluditur ad illud: Satiabor cum apparuerit gloria. (b) Amicta sole, teste Joanne in Apocal. (c) Christus fons vitæ.

Morte immortalem, vivere funus erit.
Applausûs spectator eris, nec parva Triumphi
Pars grandis soboles Stanesilae mei.
Ducet ubi festâ Patriarchas tusse canoros
Nomen ovans, castas & sine prole nurus.
Et Roseo incedent Heroes sanguinis ostro
Sternentes palmâ floridiore, viam.
Incedes cætu Stanslae coruscus eodem
Qui domito quondam corpore, Martyr eras.
Virgineas niveâ cumulabis fronte phalanges
Virgo animo, Virgo pectore, Virgo genis.
Olim canitie, profugus, præ vertice candens
Cum Patriarcharum progrediere manu.
Servus heram, natus charam comitabere Matrem
Matris & applausûs, sorte favente comes.
Et comes Imperii famâ graviore superni
Quin Rex, Partheniæ sis quia servus (a) heræ.
Ingredieris iter sparsis illustre Pyropis
Floribus instratæ flosculus ipse viæ.
Semita Beryllo sparsim crustata jacenti
Figet amæna Tuo basia mille pedi.
Gemmea festinum, Cælorum valva (b) patenti
Subsiliens stringet, lactea membra sinu.
Chrysolithis textum, Divorum limen inibis
Chrysolithus rutilo Jaspis & ipse Lari.
Ergo celer meditare viam, depone molestum
Pergenti pondus corporis, Astra petes.

(a) Alluditur ad Anselmum dicentem: Servire Mariæ, regnare est [b] Singulæ portæ ex singulis Margarethis. Apocal.

ELEGIA TERTIA.

Argumentum.

EPistola B. Stanislai; qua Parenti minas omnes

per literas effundenti, interritus in obsequio DEI adolescens reposuit, nullis iræ impetibus se è Societate exturbandum, cui dato nomine, non infamiam Domui sed sanctiorem familiæ famam consciviſſet. P. Skarga in vita. & P. Bartholus.

PErlege, Romuleâ quæ mittitur urbe, salutem
Formoſe, in Lechica, murice, gente Pater.
Verba paludato non abnue tingere vultu
Pagina quæ, lachrymis obiicit uda meis.
Sed lachrymis quas corde dolor, non verba minaci
Protrudunt oculis aſperiora ſtylo.
Limina nec doleo ſpreti contempta Parentis
Purpureæ jactas non ditionis opes.
Te doleo ignorare meam Pater optime ſortem
Obſequii pretium te latuiſſe mei.
Non eſt crede mihi Koſtkanæ dedecus aulæ
Quod Koſtkam, in gremio cenſeat aula Dei.
Aula paludatis Regum bene major ephebis
Pellæi roſeo dignior aula choro.
Cujus & Ætherei venerantur jura Quirites
Implent Cæligeri tecta lareſq; viri.
Quâ, meliore vetus correctum dogmate, votum,
Exeat ex aula, qui negat eſſe pius.
Aulicus Æmathii hic vileſcit Epheſtio Regis
Juppiter adlecto nec Ganymede placet.
Hic Divi famulis cedunt ſtipendia Faſces
Gratior & Tyrii velleris arte, toga.
Pro mercede, micans fronti diadema paratur
Quo nec Cæſareæ promicuêre comæ.
Cæleſtes animæ coëphebi; ſancta ſodales
Numina, ſidereus quæ ſociavit amor.
Si ſaperes, noſſeſq; meæ faſtigia ſortis
Auderes cunctis antetuliſſe bonis.
Guſtares humilis nomen ſi nobile ſervi
Deſiperent Domini verba ſuperba Ducis.

Desiperent clavæ, Procerum subsellia, Regum
Sceptra, Palatini rubra lacerna sinûs.
Ergo tenet si prolis amor, si Patria Nati
Cura Tui, invideas id mihi nolo lucrum.
Nolo tuas Genitor, licet hæres maximè gazas
Nolo dotales gentis Equestris opes.
Sint sua Sarmatici, Paulo sint dona Luculli
Totaq; sit Lechici copia fulva Midæ.
Provida, quas bino cumulavit dextera Fratri,
Invideo Paulo non ego Frater opes.
Nullam ego jacturam vestris inferre crumenis
Intendo ditis damnaq; nulla manûs.
Nolo peregrinas thesauros ferre sub oras
Divitiis Patrios evacuando lares.
Nec vos ergo meo collectas pollice gazas,
Et mihi quæsitas invideatis opes.
Quas tamen effuso indulgebo munere; vobis
Quærere Fortunam si placet arte pari.
Quodsi proficiunt minimè pia verba petentis,
Nec valet iratum flectere penna Patrem,
Par mea non vestro succumbere flamma furori
Mens negat in vestras dissiliisse minas.
Compede terretis, terretis membra catenis,
Et nodo innocuos squalidiore pedes.
Promptæ non metuunt fatalia vincula plantæ,
Ingressæ æternam calle beante viam.
Frena fibræ rideat, ausu probiore tumentes
Obstrictæ nexu nobiliore Polo.
Etsi digna forent hac viscera torque ligari
Ferrent vincla, velut mite monile sinu.
Natum coge tuum Genitor sub vincula; Cæli
Servus ego in media compede liber ero.
In sobolem præceps adamantina spicula torque
Durior est animus, duro adamante meus.
Arma crudeles irato in corde furores
Exacue infensas vindice mente minas.

Concuties nullo luis inscia membra pavore
Tutus amor superûm, d spulit inde metus.
Ergo, quos quassare minis non sufficis ausus
Oro piis faveas ausibus, oro Parens.

ELEGIA QVARTA.

Argumentum.

Prosopopæia B. Stanislai, itineri se accingentis Viennâ abituri, vestesq; paupere lacernâ c ommutantis.

MEndaces pertæsus opes; pertæsus Avorum
Ceras & Patriæ mellea dona manûs.
Dum volucri profugus metam disquirit amori
Kostka puer Larias promptus adire plagas;
Conformes humili superinduit atq; lacernas
Armo, detracta veste micante fibris;
Ferventi quos mirè labro prorupit in ausus?
Quæ vota in Superos ejaculatus heros?
Conscia pande precor facundi pectoris aura
Aura pharetratis obstupefacta sonis.
Pande precor gremio suspiria fusa calenti
Diceris hæc memori nam posuisse sinu.
Promite & ignitas vos vati sidera voces
Quas hærens stupuit, fauce ferente Polus.
Miretur tellus, vastus miretur & orbis
Nocturnæ Cæli quas stupuêre faces.
Et mentem fervore piam stimulante; ferocis
Et Pauli, innocuum vi tribulante caput.
Impatiens traxisse moras; & tædia lento
Passu per pigras dinumerare dies.

Kostulus urget iter: Plantis amor applicat alas
  Membraq; in alatam trudit anhela viam.
Saxea in implendis superûm, constantia, jussis
  Stans in proposito tram te, stare negat.
Ergo solicito superandis poplite Regnis
  Accinctus metam figit in urbe pedi.
Ad superos conversus, opem facilemq; Ducatum
  Poscens, Fortunæ dona valere jubet.
Dona valere jubet Patris, Patriæq; favores
  Et quidquid fortis sive cruoris erat.
Fertur in hos alacer, Musa memorante susurros
  Verba liquans lachrymis prosiluisse puer.
Et tota in calidas ierant præcordia voces
  Et verba ipsius viscera cordis erant.
Sidera, conspicui stellata monilia Cœli
  Cœli primus honor, primus & axis amor.
Sidera, defessi requies placidissima cordis
  Sidera solicitæ mentis amœna quies.
Vos ego juratos testes assumo, Paternæ
  Abjurasse semel me ditionis opes.
Id vos æthereis munimen arate sub Actis
  Stella characteres, pagina olympus erit.
Fidi Mercurii, celeri super astra referte
  Famâ, linguæ estis dicite quæso Polo.
In Cives recipi cupidum me velle supernos
  Adscribi in Sanctos quærere jure choros.
Pendere & in pretium coëmendi juris, onustas
  Divitiis gazas pendere Patris opes.
Dicite, me vestræ captum pietatis amore
  Captum formosi nuper amore sinûs;
Temnere Cynthiacâ (a) plantatos fronte decores
Temne-

(a) A Propertio omniū formosissima cantatur Cynthia.

Temnere Democleas (a) Castoreasq; (b) genas.
Devinctum roseâ rutilo præ corpore formâ
Spernere Acidalias crine rubente rosas.
Rideo coccineâ plausus sub veste Togatos
Contemplor rubeum cùm super astra jubar.
Rideo flammantes fatuis splendoribus ignes
Rident æthereæ cum super axe faces.
Obryzum radians plenis explodo cachinnis
Aurea cum rutilent sidera fixa Polo.
Gemma mihi squallet, squallent cum luce metalla
Livet honos, oculis axe nitente meis.
Parva velut scintilla rogo collata flagranti
Vix tingi justo lumine digna latet.
Clausa velut tenui scyphulo contemnitur unda;
In potum, querulæ fonte patente, siti.
Æra rotunda velut parvo quæruntur amore,
Aurum si spumat plena crumena Tibi.
Sed quid ego effusis lassabo sidera votis?
Astra quid assiduis dilacerabo sonis?
Astrorum Dominum Phœbum, Lunamq; faventis
Axis heram, metam sedula vota petunt.
Justitiæ solis Numen sub voce coruscum
Quod sacer illustrat nomine, solis, honor;
Pullus ego Lechicæ, Lechica de gente, volucris
In te oculos patulâ porrigo fronte meos.
Cæci terrenâ pascant caligine vultus
Bubones, umbris fæta propago soli.

Nos

a Democles Atheniensis adeo speciosus ut communiter ab omnibus pulcher Democles diceretur, b Castor Pollucis Frater formosissimus.

Nos natura jubet, nos Cæli semina cogunt
Te solem vigili lumine, corde sequi.
Ergo rotans splendore genas, orbemq; serenum
Prædux, posco meum dirige Phœbe gradum.
Duc in septeno securos vertice montes
Est ubi ab infesto tuta Dracone quies.
A te concepto calefactus in artubus igne
Mitto humeris vestes, pallia mitto meis.
Non ego Tænarios vacuus trepidabo latrones
Securi plaudent paupere veste sinus.
Et Tu Phœbeo lateri, comes addita Phœbe
Quæ gremio solem Luna Maria foves;
Influe projectâ teneros virtute sub artus,
Sideris influxu pectore crescet amor.
Pectore crescet amor, vitæ de Fonte rigatus
Quem geris innocuâ Virgo Parensq; manu.
Sanctior astrifero, sêu pulchrior ore Dianâ
Sim tuus Endymion, (a) sis mea Luna precor.
Temno Typhonis opes fusi Titane Parente,
Sis mea nobilior dummodo Luna Parens.
Sis mihi Luna Parens flectas quæ sidere passus
Ne titubent, nati rexeris atq; pedes.
Audaces per stagna feram per & æquora, gressus,
Parrhasiâ melior sis Cynosura mihi.
Sæva procellosi superabo cum æquora mundi
Me posco in portum devehe Virgo ratis.
Tu, nimis ardentis sêu solis adurar ab æstu
Sis refrigerium rore favente meum.

Seu

a Endymion ob formam à Luna adamatus.

Seu rapidis currens, nimium propellar ab Euris
Ne per tesqua ruam, sis animosa basis.
Tempestate premar, tu grata malacia, Cæli
Indue detersos, sole calente sinus.
Sylvarum, volucri properabo per invia passu
Dictynnâ potior Virgo Diana fave.
Metiar hortorum planta volitante plateas
Tu Pomona genas dirige posco meas.
Esurie latrante cibus, fons Oris in æstu
Vis lasso, ignaro Tramitis, esto via.
Deniq; sis nato, propriæ sis provida proli
Una voce precor, sis mihi Virgo Parens.
Dixit, & intentis oranti, auditus ab Astris;
Jn Germana alacrem moverat arva pedem.
Et felix tenuit, quam fixit, poplite metam;
Nam profugo Mater, Dux, Via, robur erat.

ELEGIA QVINTA.

Argumentum.

Prosopopæia B. Stanislai, aulæ sodalibus, vana sibi persvadentibus, reponentis.

JUvenis hic Sanctissimus, junior in aula Arsenius, DEO totus pietatiq; deditus, cum admoneretur à Paternæ Senatoriæ aulæ asseclis, mundanæ se politici, humanisq; agendi modis conformaret; reponebat: Sinite, Deo me non mundo scio natum. P. Andreas Durjewski in memoria Domus Kostkanæ.

Dici-

DIcite Sarmatici penetralia celsa Catonis
Supplico Kostkani dicite tecta laris.
Quos senis in puero stupuistis pectoris ausus
Ausus intrepidi voce fatente labri.
Dicite, quæ nummos veluti, servastis in imis
Oblita ne pereant, verba pudica fibris.
Gemmæ sunt, nummos domino prægressa valore
In cæco gemmas nolo latere loco.
Annulus est orbis, pretiosas viscere gemmas
Ambiat, aurato verba notanda Stylo.
Has vulgate meâ voces per regna Camænâ
Junget & ipsa suam Fama ministra tubam.
Versatus Patrios Divinior inter ephebos
Aulicus ætheræ Kostulus ædis erat.
Cælesti, melius pueri mens, more polita
Prætulit astricolas ore manuq; viros.
Incola Cælorum præ fronte modestia risit,
Verna Poli, casto floruit ore pudor.
Non Paphias redolere rosas, non Cypridis herbam
Angelica visa sub pietate genæ.
Nesciit Idalios imitari lingua susurros
Et labra Peligno non maduêre joco.
Narcissos niveo facies spirabat odore
Lilia lactenti discubuêre sinu.
Se defixa stupore, levis non ceperat aula;
Olim exul, pietas cum foret ædis hera.
At socii, socii quibus invidus utitur Orcus
Aggrediens tacito pectora Sancta dolo.
Corrupti veluti tenebroso regmine corvi
Inter se niveas non patiuntur aves;
Aut velut infensi, rostris feralibus ursi
Delapsæ in medium dente minantur ovi,
Mansvetum vitâ, mansvetum vocibus agnum
Cujus, Rex superûm, vellere mite tumet.
Aggressi mulcente prius svasêre sodali
Flectere constantes fraude doloq; fibras;

Con-

Condierant tectis fallacia verba venenis
Conditus haud potuit sed latuisse dolus.
Gemma Stanislaus mox desudavit Achates
Proxima cum Sanctus toxica sensit amor.
Sudavit vafros elidens fortius ictus
Fraudis & eludens voce silente vices.
Elusitq; ruit subnitens machina fraude
Exortâ veluti corruit umbra die.
Ergo suos ludi, eludiq, tenacius astus
Dum mirabundi corde furente stupent.
Invecti in puerum patulâ crudelius irâ
Astubus effrenes supposuêre minas.
Appinxére notam urbanis fallacius actis;
Urbani leges non redolere viri.
Barbara sub Tyria clamabant gesta fovere
Turpius, agresti quàm latitare foco.
Æternum fieri Kostkanæ dedecus aulæ
Kostkani maculam Nominis esse gravem.
Sub Proavûm plaudente toga, sub murice Patrum
Ferre actus, quales cruda lacerna tegit.
Qui tibi nunc stabili præ pectore Kostule sensus?
Quæ voces solido perstrepuere sinu?
Musa refer, renuit nec sanctus pusio; Discat
Mitius ut sanctis aula proterva loqui.
Dicebas justâ sub viscere saucius irâ
Erupit Sanctus mistus amore furor.
Quid malè, prudentes corrumpere corda sodales
Pergitis? æterno corda dicata DEO?
Urbani specie, pulchri sub imagine moris
Truditis immanem sub mea corda dolum.
Pulchrâ cùm superis dederim me lege; putatis
Urbanùmne Dios ludere fraude Polos?
Hæccine sunt hominis documenta venusta politi,

Voce

Voce Polo, Vafro plaudere more solo?
In solos fusum supremi numinis usus
Contra jus, terræ participare datum?
Credite non sunt hæc humanæ insignia vitæ,
Barbarus est nimium, cui modus iste placet.
Non est consilium, nostros quo luditis ausus,
Crudelis nimis, est ars malè sana necis.
Nescio num simili Æaciden decepit Ulysses
Callidus aut similis Sisyphus arte doli.
Fatum crede mihi, non clade nocentius ullum
Quàm condire bono nomine, turpe scelus.
Ad normam mundi faciles componere mores;
Quid? nisi Cæligeri temnere jura Patris.
Id tamen urbanæ pulchro sub nomine vitæ
Fertis & astuto funditis ore mihi.
Quid nisi formosam morituro mittitis herbam
Sub cujus viridi flore, venena latent.
Pocula flaventi fertis contexta metallo
Sub quorum gremio toxica mista natant.
Conformem placitis me vultis? Sancta jubete
Obsequii ne sit pars scelerata mei.
Sancta jube sociata cohors, mandata capessam
Consilium haud poterit non placuisse tuum.
Nam diversa placere meo non posse palato
Ut credas, me uni vivere scito DEO.
Vivere scito Deo, quia propter sidera natum
Non in mundani jura sequenda doli.
Implantata meis à Numine flamma medullis
Sublimi centrum quærit in axe suum.
Obrue centenis surgentem fraudibus ignem
Non hærebit humo, natus ut astra petat.

ELEGIA SEXTA.

Argumentum.

Prosopopæia Pauli Fratris, B. Kostkam indignius olim à se tractatum, in ejusdem imagine, suppliciter deprecantis.

Tradit R. P. Durjewski *Paulum Fratrem D. Stanislai, meliori menti & vitæ redditum solitum crebrius provolvi ante effigiem Divi Fratris, ab eoque cum lachrymis veniam expetiisse, quod Sanctum non sanctè olim habuisset.* In memoria Domûs Kostkanæ.

A Sancto Kostkam retrahendi tramite Paulus
Spe, velut effuso præcipitatus equo,
Paulus ut ante ferox mutatus Apostolus, ad cor
Et missæ rediit mente salutis iter.
Crudus Fraternâ nuper sub voce Tyrannus
Tyro hodie, juncta mitis, & ore, manu.
Infensus Remo vix Frater Romulus olim,
Par modo Pollucis Castor amore flagrat.
Atreus Inuper spumante furore Thyesti
Mitior Euclidæ Cleomenes (a) hodie.
Persequi haud, bardâ quem destitit arte modestum
Exambit Divum promptus amore sequi.
Obstringit teneros arctis amplexibus artus
Et figit læsis oscula blanda genis.
In durum ductas contracto pollice pugnum,
Compositas, pectus colligit ante, manus.
In faciem impactas vesano robore palmas,
Victori in palmam mittit in astra viro.

Et

(a) Singulari in Fratrem Euclidam amore ferebatur, quem etiam secum regnare permisit. Plutar,

Et gestu supplex, humili votivus & ore
Implorat veniam, quam meruisse negat:
O nimis ingrati Frater Stanslae clientis
(Ausus atrox Fratrem nam negat esse tuum.)
O puer expertus Germanum tristè Tyrannum
Crudelemq́ue locò Castoris ore Typhum. (a)
O uno mecum de viscere fusa propago
Hêu mihi non uno quod sociata Polo.
O Proles vigili pridem bene cognita Cælo
Heu mihi quòd cordi cógnita serò meo!
O nate, ætherei specialis meta favoris
Heu mihi quòd Furiis obvia meta meis!
O superûm jucunde lepos, & plausus olimpi !
Heu mihi, sola mei causa doloris eris.
Plejades hâud simili, projecto Fratre sub undas,
Turbarunt luctu concutiente Jovem.
Quo deflenda, meo pallescens crimine culpa :
Me causâ, salsô te maduisse vadô.
Toto sub querulas decurrant flumine Nymphæ
Pupillas, lachrymis non satis unda meis .
Æquora plorantes fundat Neptunus in artus,
Artubus in planctus æquora parva meis ?
In fontes totus fibris fluitantibus ibo :
Deleri hac saltem possit ut arte nefas.
In nimium turpes lachrymosus conquerar ausus
Ut flectat facilen missa querela sinum .

H Hæc

(a) Typhus Ægyptius Fratrem suum Osiridem peremit.

Hæc prius hæc utinam riguisset funere dextra
Donec in innocuas surgeret acta genas.
Antequam in Angelicos prorumperet impete vultus
Cederet o utinam vincla sub arcta Gethæ.
Candida donec atrox digitos animasset in ora
Sub Stygias animus morte ruisset haras.
Letheosq; utinam prior ipse liquarer in amnes
Exprimerem quàm oculis flumina salsa tuis.
Perditus ast quid agam? quas perditus ibo sub ora
Desperem? solo cor vitiante metu?
Desperare vetat nomen redamabile Fratris
Fratris amor, gremio spem resecare vetat.
Kostka es, sideream quamvis provectus in aulam
Frater es, ætherei sis licet axis herus.
Sed si dignari renuis me nomine Fratris
Sim peto peccator, sim tuus oro cliens.
Fratri suppetias Frater si ferre recusas
Peccanti profugo providus adfer opem.
Adfer opem mæstos pellens à corde dolores
Concessâ veniâ, pectore pelle metum.
Hæres blanda scio placidi est clementia Cæli
Incolit astricolas & decet illa viros.
Iratum vibrat nec semper fulmina Numen
Nube solet pulsâ candidus ire dies.
Terruerant tremulâ quos crebra tonitrua flammâ
Phæbeum recreat luce sequente jubar.
Nec Te posse scio, flagrare diutius irâ;
(In superis iræ si locus esse potest.)
Vitæ vicinus Fonti, restingue furores

Justos

Justos, posco sacris parce puelle minis,
Hêu mihi. quem non fas fratrem sensisse faventem
Vitæ cultorem me, experiere tuæ.

ELEGIA SEPTIMA.

Argumentum.

Eucharisticon nomine Poloniæ A. R. P. Michaëli Angelo Tamburino Præposito Generali S. J. pro sedula opera in promovendo ad Canonizationem B. Stanislao, impetratoq; jam Canonizationis decreto.

PAtrum Auguste Pater; terrestris Rector olympi
Et Lojolani præses honoris, honos.
Accipe grata litat quod corde Polonia votum
Et pariter votum, corq́, voventis habe.
Nec gazas, nec mittit opes. non pabula Cræsi,
Certa, quod excelso pectore temnis opes.
Fulva litare negat perfossæ viscera terræ
Propria cum facili viscera mente litat.
Et superis magis ille placet, qui dona calenti
Fert animo, quam qui munera larga manu.
Nec tamen & pretium votoq; deesse valorem,
Aureus in nostris artubus ardet amor.
In persolvendo non sectilis unio cultu
Excedit gemmas pignora casta maris.
Frons ab amore rubens. rubicunda corallia vincit
Et superat pretio nobiliore decus.
Ista vovens, humili constringit munera versu
Procidat ut metris victima vincta tibi.
Sed quidquid voveat, minor est impensa voventis
Affectu minor est gratia cuncta tuo.

Et nihil est donum quod mens tibi nostra rependis
Cum merita aspiciam, præmia vasta, nihil.
Par nil nostra tuo, dives licet, ora favori
Par & habet studiis orbis uterq; nihil.
Conferat in cumulum collectas Persia dotes
Dives & auratos Indus Arabsq; sinus.
Tracta mari tollant formosa monilia Nymphæ
Par est muneribus copia nulla tuis.
Pectore profuso vicisti amplissima Regum
Munera par non est dextera larga Titi (a)
Non Cicero Pomponii (b) apertas efferat ulnas
Nec Lucullens (c) Advena Græcus opes.
Exhaustas temno Flaviano pollice gazas
Necq, tuam Stilicon prompte præopto manum.
Excessit Pater iste modum. dandiq, tenorem
Quod nullus vestrûm præstitit, ille dedit.
Si Prænestini ferres portenta favoris
Cæcæ fudisses & monumenta Deæ;
Si tumefacta Midæ vacuasses scrinia, pingues
Obryzoq, arcas, præmia parva dares.
Millia si nostras veheres millena sub oras
Apta forent votis millia nulla meis.
Quæ suprema forent, illis majora dedisti,
Indulgendo favens quod daret ipse Polus.
Ut famæ pretium, pretio distabit ab auri
Sic favor exsuperat sparsa metalla tuus.
Nomen inaurasti Fama vulgante Polonum
Sanctorum fieri voce sinuq; Polum.
Et tellure Lechi docuisti crescere Divos
Dignos Astrorum semine, gentis agros.

Et

(a) Titus Vespasianus diem se amisisse conquerebatu quâ munificentiam aliquam non exhibuisset. (b) De jus immensa liberalitate erga Ciceronem & alios videatu Ravisius. (c) Domus Luculli advenis Græcis portus dic batur quod in eam recepti, amplissimis muneribus dita gentur, (d) Flavii liberalitas celebrata à Ravisio.

Et Lechiam peperisse viros, quos Roma stuperet
Et coleret flexo mundus uterq; genu.
Et sub terribili Borealibus æstibus ursa
Mites nasci agnos, & sine labe fibras.
Nobile Sarmatidûm docuisti nomen & ipsos
Nobilibus natis nobilitare Polos.
Et tantos tenero si condat in ore decores,
Quæ sub maturis gesta fovere viris?
Communi indultos plausu si fortè favores
Metimur, superant gaudia nostra modum.
Decreti rumore thronus, rumore senatus
Excitus in plausus, lætus in astra salit.
Festivo reboant hilarata palatia cantu
Vicis Jo, casis, urbibus Jo sonat.
Applaudunt Proceres, Procerum conjunctus amori
In cultus Regnum nobilis ordo ciet.
Optatos unâ conclamant voce triumphos
Patrono Sanctos ingeminando choros.
At, quo Stanslai laudes funduntur in orbem
Et tua per terras gloria, fonte fluit.
Sanctus Kostka quibus faustè cantabitur oris
Has per, inoffensâ laude ferêre plagas.
Queîs Stanislai fumant altaria flammis
Urimur ad cultus his in amore tuos
Et quibus illustres candescunt ignibus aræ
Flagramus plantis, vota holocausta tuis.
Per Te quæsito, quo Sanctus Kostka coletur
Decreto, nobis tu recolendus eris.
Jure triumphales tibi decernemus honores
Et decreta ferens cordi inarabit amor.

ELEGIA OCTAVA.

Argumentum.

Diræ, in linguam audaci nimis mendacio, Societati JESU B. Koſtkam, adimentem.

PRæceps, lingua,malum; præceps fons lingua periclum
Promptior alatis in tua damna Notîs.
Blandum lingua malum; atq; malum quò blandiùs, inde
Pejus lingua malum. lugubre lingua malum.
Lingua dolorifero coniuncta pediſſequa Fato
Lingua procelloſæ mortis, amara comes.
Intimus hoſtis lingua, nimiſq, domeſtica peſtis
Quo vitam voveas, ore venena foves.
Seu Te ſub Siculis acuit Vulcanius antris
Mulciber, in clades ſupra adamanta meas.
Durueras ſeu Brontiaco quaſſata ſub ictu
In mea damna, nimis barbara, dura nimis.
Debueras Stygiis multùm maduiſſe ſub undis
Trabs ſub fonte velut quercina, facta lapis.
Debueras Furiis convivere longiùs ipſis
Certanti inſanis æmula voce minis.
Æmula debueras Erebo contendere verbis
Condictâq; feris arte ſtudere dolis.
Non ſatis innocuas quod turpè laceſſere terras
Nec ſatis innocuos ſit lacerare viros.
Virus in æthereas placeat niſi fundere mentes
Lædere ſecuros, & ſine mente, Polos.
Tanquam flamma nocens ubi proxima ligna voraſſet
Tollitur in ſuperas igne tumente plagas.
Aut grege depulſo læſoq; relabitur aſtris
Accipiter, præda deficiente ſolo.
At metue, æternos impunè laceſſere Divos
Non licet, Encelados fulmina ſæva manent,

Et

Et coram Junone Jovem proſcindere linguâ
Auſa Laris, linguâ deſpoliata gemit.
Et lueres utinam ſimili ſcelus in Styge pœnâ
Excuſſâ infeſtis axe jubente labris.
Ejectum blaterans, Lojolæ ex ordine Koſtkam
E JESU in præceps Relligione datum;
Grandia damna Patri, damna infers grandia nato
Koſtulus Jgnatium gaudet habere Patrem.
Gaudet habere Patrem Lojolam Koſtulus; illum
Jgnatius ſobolem gaudet habere ſuam.
Quos ſuperûm conjunxit amor tu dividis; Aſtris
Quæ conjunxit amor, tu ſuper orbe ſecas.
Surripis Jgnatio ignitam de ſidere prolem
Caucaſeam (a) pœnam, vulturis ora time.
E Vaticano, pro Cælo, fulmina colle
In ſuperos audax, ore nocente, pave.
Patritius Lechiæ, quondam Jovis armiger ales
Pro tutore ſuo, tela coruſca feret:
Et juſtis moveare minis, Nemeſiq; ſequente
Portentûmq; ſacra commoveare fide.
Quos in opem Divus dignatus fronte patenti
Dignatus præſens Fata fugante ſinu.
His exquire precor, quâ fulſit veſte togatus
Quâ patuêre viris ſplendida membra togâ.
Veſtitune Polonus Eques? nigricante lacernâ
(Ut livens garris) num peregrinus erat ?
Turbato per ſaxa mari jactate Georgi
Lubomiri, priſcæ nobilitatis honos
(Cujus Sarmaticus, ſubnixus pollice, plauſit
Scipio, quo riſit Patre curulis honor.)
Diſcute mendaces falſo de pectore ſenſus
Purpureus teſtis, garrula claude labra.
Ex altris inter funeſta pericla vocatus

Quali

(a) Prometheus quod ignem Cælo ſurripuiſſet, Caucaſeæ rupi affixus, rodenda viſcera, vulturibus quotidie præbet.

Quali habitu, (a) quali paruit ore puer,
Nec nutu, [ut quondam] clarâ nec voce negabis,
Ignatii natum veste fuisse Patris.
Trabczyni Stanislae b refer; quo blandus amictu?
Ad lectum pellens Dæmona, Kostka stetit?
Tegmine quo fluitante faces pellebat ab urbe
Nuper Lemburgum c confreare, tua.
Jesuitamq; fore unanimi sermone fatentur
Invida, teq; simul credere, lingua jubent.
Quodsi vel sanctis placeat discredere visis
Fallere non gnaro, perfida crede Petro.
Evolvat bullas, vivæq; oracula vocis
E JESU Kostkam Relligione leges.
Quodsi Equitem placeat verbis contendere, dicam
Quod Crucis, Ignatio Principe, mansit eques.
Conveniamq; tuis facili jam pectore dictis
Tu modo convenias subdola lingua meis.
Impia si retinent in crimine Fata tenacem
Virus atrox terris & geminare juvat?
Toxica Tartareo profuderis ore priusquam
Lethali rigeas funere truncus iners.
Turpi vel Lycii (d) dicturi, clade sophistæ
Murescas, labiis deficiente sono.
Tantaleæ mulctâ (e) linguæ nimis ante loquacis.

Tristè

(a) In simili discursu publico affirmante B. Kostkam, Equitem esse Polonum aut Peregrinum non Jesuitam, idem Mareschalcus interrogatus à favente Societati JESU Dominâ, quo habitu apparuerit vocatus in naufragio, nutu docuit, Jesuitarum amictu adstitisse B Stanislaum. *P. Tylkowski in vita Sancti.*

(b) Vide id supra fusius narratum in Pòësi Heroica. (c) id pariter in urbanitate D. Kostcæ urbibus exhibita, supra enarratum. (d) Heraclytus Lycius sophista coram Severo Principe verba facturus præter spē obmutuit. (e) Tantalus quod Deorum Arcana hominibus propalasset, siti perenni à Jove adjudicatus.

Tristè premare siti, triste premare fame.
Aurea Berosi labiis data lingua disertis
Quod veluti nummos aurea verba tulit;
Denigras quoniam tetro tu Nomina Fato
Donamus fauces nos titione tuas.

ELEGIA NONA.

Argumentum.

Votum ad B. Joannem Franciscum Regis, pro pacificanda, eximendaq́; erroneis turbis Gallia, & Gallicana Societate JESU hostium impetibus.

FLos Galli Francisce soli; Francisce virentis
Sub niveo, Floris gratia casta, sinu.
Quo Pietas in flore stetit, quo gloria Divûm
Vernanti hâud potuit non viruisse throno.
Candida surgebant quo Lilia Galia colono
Apta in sidereæ serta beata comæ.
Aspice marcentem crudeli funere florem
Compta olim, gelidâ clade vireta premi.
Infecta lateat quod crudior anguis in herba,
Jansenius Libyco pejor & angue draco.
Inficiatque vafer Lernæo corda veneno
Plantans, Gorgoneâ toxica mista manu.
Aruerant urente siti floresq́, fibræq́;
Occluso vitæ Fonte, nocente dolo.
Ingressus qui Fonte orbem, profusus operto, a
Palladio b steteras ditior imbre Pater
Cæli profluviis arentia pectora tinge
Defessosq́; sinus tinge salutis aqua

Sanctior

a Nascitur Beatus in castello Fontis operti. b In ortu Palladis aureo pluit imbre Cælum.

Sanctior Elias sitientes sanctius agros
Exsaties pluviâ nobiliore precor.
Auguror; hoc potu recreatis surget ab arvis,
Promeritis, messis gloriæ adulta tuis.
Surget & Æthereis revirescens gloria Fanis,
Numinis ornandis Flora sacrata focis.
Veni, plantam siccanre ardore furoris
Languens, attollet terra rigata caput.
Prorumpetq; triumphalis tibi palma per agros
Victrices Fati non fugitura manus.
Excrescent riguæ madefacto è viscere messes
Quas cupidi exspectant horrea Sancta Poli.
Gratia multa latens, unâ sub mente Joannes
Et regnans uno pectore trina Charis.
Gratia, non quali corrupta volumina fætent
Jansenii, doctis non bene grata viris.
Gratos redde Deo depulso crimine Francos
Et Francis gratum supplico, redde Deum.
Seductas nimia evertat ne gratia mentes
Vertitur in vitium quod nimium esse placet.
Discordi redeat, concors Te gratia Regno
Unio, quo vittæ sceptraq; dulcè nitent.
Virtutum fiat gratus concentus ut astris
Non resonet discors scissa vel ore fides.
Dotasti sanctæ Fidei, quos semine campos
Hæreseos loliis ne patiare tegi.
Maturo nondum Regni ad moderamina Rege
Ze'osi Regis munia, Regis obi.
Et faciles, pietate sinus; sed dura mucrone
Corda sub Ausoniam coge redire manum.
Quive tua, intrepidis vestigia passibus urgent
Juratis Socios eripe Dive malis.
Romanum qui corde Patrem, pennâq; tuentur
Pennati effugiant retia jacta pedi.

ELE-

ELEGIA DECIMA.

Argumentum.

Pauperies gemebunda ad tumulum B. Francisci Regis, sui Patroni & Patris.

NOn solus Francisce jaces, jacet indiga tecum
Crudæ Pauperies immoritura fami.
Immoritura fami, gelido contermina Fato
Esurie vacuos debilitante sinus.
Corruit exanimis Tecum tumulanda Parente
Tecum Patrono defodienda suo.
Vivere necq; juvat trepidantem funere vitam
Quotidie fractas morte movente fibras.
Tu vitæ spes una meæ, spes una favoris
Et cladis fueras unica cura meæ.
Tu mihi, quod Theseæ fuerat Pomponius a urbi
Et semente ferens Aurelianus b opem.
Totus in afflictæ profusus commoda; largus
Venceslaus eras, Tu Nicolaus eras.
Plena tuæ fuerant frumentis horrea dextræ
Semine farta manus, plenus acervus erat.
Non delectabant granaria vasta Canopi
Te Cererem sorti, suppeditante meæ.
Ridebam secura cibi, licet atra latraret
Jejunas vires depopulata fames.
Nunc tantum plorare licet, lachrymaq; perenni
Siccandas nunquam tristè lavare genas.
In fauces nil Juris erat, nil juris in artus
Urenti fibras, in mea membra siti.

Torre-

a Publicam Atheniensium inopiam suis opibus sublevavit. b Viritim per populum frumentum, vinum & oleum distribuebat.

Torreret cum Phæbus humum, cum Syrius ora
Spumabant riguo Massica mista mero.
Temnebam fontes, quos exprimit Hungara vitis
Fundit & in Latios Jtala gleba scyphos,
Nec diuturna meo caluere incendia labro
Pellebas potu nobiliore sitim.
Nunc lachryma currente licet potare flagrantes
A planctu rigidos & recreare sinus.
Quis daret afflictæ Fato cecidisse priorem
Et tibi sub tumulum præripuisse viam.
Placâssem proprio liventem funere Parcam
Stamina ne vellet grata, scidisse Patris.
Agmine spissato clausissem provida calles
Posset in infanam ne penetrasse necem.
Quid faciam pauper? numerosa ut dona rependam
In lachrymas dives, tota dolore fluam.

ELEGIA UNDECIMA.

Argumentum.

Dialogismus claudi adolescentis cum Peregrino ad tumulum D. Regis, Sacerdote

Claudus adolescens, molestoq; pedis dirè vexatus tumore, ubi inaudiit miraculis clarere Lalovesci Beatum, eò pergentem exoravit sacerdotem, ut pro se sacrificium Missæ ad Beati tumulum Deo litaret. Accidità; ut cum illud ipsum litaretur, fulcra casu è claudi manibus exciderint, adolescensq; firmis & sanis pedibus substiterit. P. Tanner in Societate JESU Apostolorum imitatrice.

Heu

Claudus inter doloris lamenta.

HEu miserum! vexant claudo quem Fata dolore
Angit & excrucians membra cruenta tumor.
Nocti nulla quies, requies est nulla diei
Et gemitu, vitæ pars sibi nulla vacat.
Sæpe volens placidas somno traducere noctes
Perpetuo vigiles obruor imbre genas.
Hêu quantis tardos soles incuso querelis
Atq; tuas querulor Cynthia mæsta faces.
Dum male concussis cruciatus in ossibus ardet
Delapsusq; furit crura sub ægra dolor.
Non capitale nihil sub mæsta sentio planta
Aût parvum in tenui me lacerare pede.
Non hæc Caucaseo queritur præ colle Promethêus
Dum mæstas secto viscere pascit aves.
Talia nec querulo mugitu Fata Perillus
Accusat diri tostus in ære bovis.
Alterni redeunt post horrida nubila soles
Obductum tenebris exhilarantq; diem.
Eurus sæpe gravi conturbat & æquora fluctu
Sed relevat rursus fracta fluenta quies.
At mihi continuo renovantur funera luctu
Nec licet optatam nosse salutis opem.
Qui soletur adest nemo, pellatq; dolores
Dextera Galeni nulla medentis adest.
Tantum flere juvat, lachrymâq; perungere plantam
Quæ cadit in miseros fonte repente sinus.
Quis mea Tantaleis commutet tormina pœnis
Sysypheoq; sinat volvere saxa jugo?
Esset fortè meis longê cruciatibus impar
Quem sub Tartareis hi patiuntur haris.

Peregrinus Sacerdos.

Qui gemitus nostras rigidis tam vocibus aures
Et tua qui mæror corda dolore quatit?
Est nimis ignavi pavidis ululatibus auras
Frangere, turbatum clade premente caput.

Claudus.

Heu me! tot diris, totiesq; angoribus actum
Flere vetat, crudus pandit at ora dolor.
In lamenta labrum cogit vocalia Fatum
Quis taceat? mutum me facis ille tamen.
Nunc credo, verumq; nimis protestor haberi
Mitis in expertis creditur esse dolor.
Si nosses tormenta pedis, crurumq; tumorem
Asseteres planctus luctibus ipse meos.

Peregrinus.

Quam de fronte lego, magnam non denego cladem
Grandia cerno tuo poplite Fata furunt.
Sed nimios depone metus, depone querelas
Pendeat à Verbo spes tibi magna meo.
Quò cum corde meos & votis dirigo gressus
Affectu prompto me comitare velis.
Dicta Lalovescum quâ Franco villa Trione
Consurgit populo conveniente frequens.
Franciscus Regis, Gallorum splendor avitus
Spes pressis, claudis pes, miserisq, manus.
Hic colitur; nec vana cadunt quæ vota feruntur
Hinc abit optato munere plena salus.
Experiere, sacros Divo modò defer honores
Gratia ab hoc curret multa Joanne tibi,

Claudus.

Jam meliora refers; nostræ nec dissona sorti
Quæ possint fractum, spe recreare caput.
Annuo consiliis. votis comitabor euntem
Et sacra Francisci mente sepulchra petam.
Tu modo commendes causam patientis amici
Te supplex calidis vocibus ipse sequar.

Peregrinus.

Non deero votis, Divi cum pronus ad urnam
Substitero, gemitus eloquar ipse tuos;

Sacra

Sacra litaturus ſanctas ad Numinis aras
Pellam ſub Stygias monſtra doloris haras?

Claudus.

Audi Thaumaturge tuum Franciſce clientem
Excipe ferventes, aure favente preces.
Ut venerer flexo te ſupplex poplite; ſolve
Flectere qui prohibet, crura dolore, precor.
Excute flebilibus ſuſpiria triſtia labris .
Laudibus ut reſonent oraq; corq; tuis.

Excidentibus fulcris, firmus ſubſiſtens.

O dignum, potius fingat cui Gratia nomen
Et cognomen amor, vel ſpecioſa Charis.
Dignum munificæ virtutis Nomine, prompto
Qui nimis optatam, pollice fundit opem.
Credo quod in miſeros velox, amor addidit alas
Et fecit gravidas ſorte, volare manus.
Si primum ſummi decus eſt clementia Regis
Primus erit noſtri Regis & illa decor.
Jbo Lalovèſcum perſolvam vota Patrono
Jngratum feriat ne mala pæna caput.
Quêis Thaumaturgi nitatur fama Joannis
Hæc pulſi referam fulcra doloris ego.
Barbara Pyramidum ſileat miracula Memphis
Binus, bina Patri fulcra coloſſus erunt.

ELEGIA DUODECIMA.

Argumentum.

Proſopopæia Venerabilis Roberti è Societate JESU S. R. E. Cardinalis, adſtantibus, ultimo teſtamento humilitatem legantis Romæ è vita decedens Ven: Robertus, lethalem lectum circumſtantibus, hæc tria verba ultimô legavit teſtamento: Humilitas, humilitas, humilitas. Nadaſi in anno dierum memorabilium. *S. J.* Noſtra

NOstra parant rupisse truces jam stamina Parcæ
Proxima Fata mihi fons Libytina parat.
Mors inhiat vitæ, Feralis & umbra diei
Vitali luci, nox minitatur atrox.
Ultima decedens quæ testamenta relinquam
Dilectos moneam qua pietate Patres.
Dum meditor, patuloq; oracula detraho Cælo
Sanctaq; sidereis detraho vota jugis.
Mors fauces infesta premit, labra funere torpent
Verba Atropos, vocem surripit ore dolor.
Effari vix pauca licet; vix pauca referre
Verba, sonô labium deficiente, licet.
Cor in pauca tamen, mentemq; recolligo vota
Jliadem nucleô, sidera claudo volâ.
Purpurei splendor Patres, Petrina propago
Et pendente humeris nomina pulchra Tyro.
Extremis aures, pectusq; advertite dictis
Quæ trudit Divo mistus amore timor.
Quid juvat Astriferos animo volitasse sub axes
Vertice sidereos vel peragrare sinus?
Proficit aut tumido superos habitare, quid ausu?
Mens humili nescit si viguisse basi.
Non vehit arrectus Divina in mœnia fastus
Deprimit in Ditis Tænara stagna tumor.
Mens inflata Euris figit sub sidere metam
Tangit at exerrans, sub Styga jacta, scopum.
Se super astra levat fluitanti vertice fumus
Dissilit in tenues subter at astra Notos.
Vertice sublimi quid sidera celsa ferire
Profuerat Flacco? a quid tumuisse Lyrâ?
Ammonii jactasse Jovis per compita natum
Pellæo? vilem Ditis & esse coquum?
Vulgari Phæbi Fratrem, Phæbesq;, Saporem b
Quid

a Ait de se Lib. 1. Od. 1. Sublimi feriam sidera vertice.
b Scribebat se Regem Regum, participem siderum, Fratrem Solis & Lunæ.

Quid juvat; Æacicâ cum tenebrescat harâ,
Hannones a volucri cantari, Rege Sesostres b
Vecti, sub terræ mole gemendo latent.
Quid juvit roseo, terris fulsisse sub ostro
Jncumbensq́. malis fulva corona comis
Si Christi, cervice jugum portasse silenti
Necq; humili placuit condere jussa manu.
Se Fastu, in Cæli referentes Numina Caij
Et deformantes ambitione Polos.
Vesani portenta luunt audacia cordis
Quam nimis abjecti strage, humilesq; nimis?
Arsenii mites, Francisci mente profundi
Ultra sidereos discubuêre globos.
Allisi terræ demisso fortius ictu
Usq; sub astriferos subsiliêre lares.
Ignea Lojolæ Socii dilecta propago
Grande quibus centrum fixit in axe Pater.
Fixit in axe Pater, quamvis sublimia votis
Necq; ausus humiles, corda sub alta tulit.
Vos humiles tamen esse decet. Pretiosa profundo
Conditur erecti viscere gemma maris,
Digna coli, dives pretiosis fructibus arbor
Acclimi frondis vertice, verrit humum.
Plena, potens Cererem jactare & culmine spica
Respicit inflexa fronte, modesta solum.
Sêu gemmæ, sive electorum grana; gravescens
Sêu arbos vitæ sis, humilem esse decet.

Elegia Decima Tertia.

Votum ad Clementem XI. Summum Pontificem Pro inserendo BB. numero, Ven: Bellarmino.

CHristicolûm sublime caput, frons prima Senatus
Ausonii, Proavo digna propago Petro.

J Sancte

a Hannon aves instructas his vocibus: Hannon est Deus, dispersit. b Sesostris Ægypti Rex. Reges currui junxit.

Sancte Pater, Divorum immô Sanctissime Patrum,
Divi Romulidûm gloria prima throni.
Jpsa cui proprium cessit clementia nomen.
Clementem miti pectore, nacta Patrem
Flecte Tyaratam sacro cum vertice frontem]
Et, quo læta sedet trina corona, caput;
Oro Loylanis aures exporrige votis
Porrige cum patulis auribus oro sinum.
Oro sinum, mitis Charitum quo turba recumbis
Jncolit & blandas gratia multa fibras
Excipe, quos humilis stimulat fiducia, cultus
Aurito calidas excipe corde preces.
Scriberis, incepto nuper quam acuisse favore
Spem titubare morâ ne patiare precor.
Conceptam nuper, quam animasti munere mentem
Tardos necq; sinas exanimare dies.
Quæ sub votorum diuturna mole fatiscens
Ad Sanctos supplex procidit acta pedes
Erige porrectâ per anhela oracula dextrâ
Bellarminum altis annumerando choris.
Purpurei nuper discussa examine cætûs
Ornet promeritus gesta beatus honor.
Accendit vivis (a) quos virtus clara nitores
Appinge in radiis post pia Fata genis.
Jnsere per Romana virum sancita Beatis
Jnseruit pietas quem speciosa Polo.
Dicuntur medium si lege tenere beati
Jnter humum & cælos hic mediator erat.
Et virtus medio soleat si stare. Robertus
Si pingi virtus vellet, imago foret.
Quem mundo Patrius mons protulit (b) inferat albo
Divorum, ternus mons (c) Pater alme tuus.

Jnter

(a) Visus aliquoties solis adinstar inter concionandum præ vultu radiare ut leges Lib: 4. Epigr: (b) Natus in monte Politiano oppido Paterno. Tanner. (c) Stemma Clementis 11mi. Tres montes.

Jnter Purpurea adlegit quem nomina Clemens (a)
Clemens in Sanctûm nomina posco refer.
Jd superi, id defensa fides, id Purpura supplex
Jd Lojola Pater, supplice prole, petit.
Astra rogant, illis ut multiplicare triumphos
Et famâ pergas nobilitare Polos.
Alciden Romana fides experta Robertum
Pro tanto, plausus munere, grata vovet.
Sanctius in niveis splendescere docta lacertis
Audiat ut Sanctos Purpura prona rogat;
Natorum tandem cinctus fervore Loyla
Communi Jtaliæ cinctus & ore Pater;
Accumulat votis urgentia vota Quiritum
Majestate graves & facit esse preces.
Has blando dignare Patrum Sanctissime vultu
Neq; sinas vacuo nos remeare sinu.
Hæc decantantem Mater clementia vatem
Audiit, & ridens omen ab axe tulit.
Omen ab axe tulit: *Spem non deponite Patres*
Vir, dixit, Clemens nominis, iste sui.

(a) Factus Cardinalis à Clemente VIII. Nadasi.

POESIS EPIGRAMMATICA

LIBER PRIMUS

De B. STANISLAO KOSTKA.

Supra latentem in Parentis utero Kostkam, Nomen JESU, solaribus cinctum radiis resplendet. P. Bartholus in vita, & Martinus Paskowski in Sarm: Europ., Lib: 1.

Epigramma I. Votivum.

CUm tibi Pierios meditarer carmine plausus
Et sacra devinctus metra pararet amor:
Non placuit vanum, Pindi de vertice Phæbum
Versibus in nostræ vota vocare chelys.
Et sic cùm querulo, mens anxia volvitur æstu
Consulit & bifidi Numina docta jugi.
Advertit supra genitricis viscera, solem
Musa vigil, vati Phæbus hîc, inquit, erit.
Et placuit Te Kostka meis præfigere plectris
Te Phæbô, obscuris lux erit ampla metris.

II. *In idem.*

Exhilara. tenebris corruptos Lechia vultus
Quasve gravis luctu lancinat umbra genas.
Hoc lætos tibi Kostka dies accendet; in alvum
Quod Matris, sparsum lumen ab axe micat.

III. *in idem.*

Hæredem sceptri, Persis sol donat in ortu
Jllustresq; suo fert oriente Duces.

Quem

Quem primum radiô, Titan percussit ab alto
Fit Rex, fit Regni sol, Patriæq; nitor.
Kostka quod ætherei hæredem Te, sidera Regni
Norint, maturè sole micante notant.

IV. *in Idem.*

Cum Tua Te genitrix gravida gestaret in alvo
Et Materna sacrum clauderet umbra decus.
Phœbe s pulchram radiis præ pectore lucem
Æthereâ, vidit, prole beata parens.
Prodibas Lechicum venerabile pignus in orbem
Sidera prætulerant hinc tibi clara facem.

V. *in Idem.*

Est pretiosus amor, quo Christum Kostule stringis;
Aureus est, Numen quo revereris, amor.
Nec mirum, fulsit Matris qui pectore, Titan
Hæc coxit radiis, corde, metalla tuo.

VI. *in Idem.*

Funestam Patriæ noctem ne Luna mineris
Bisthonis; has umbras non vereare parens.
Si Kostcæ genitrix solem fert viscere; dicam
Sarmatiæ faustum, voce precante, diem.

VII. *in Idem.*

Nec sol credo fores solis cognomine; solus
Ni regeret Princeps tecta suprema Poli.
Affixum Kostcæ spectans cum nomine solem
Astrorum solum dixeris esse decus.

VIII *in Idem.*

Semita, quâ vitam ingrederis, splendore coruscat;
Augur coniicio, Kostule justus eras. (a)

IX. *in Idem.*

Kostkarum sobolem fateatur Lechia, Kostkam;
Filius es lucis Dive, fatebor ego.

(a) Semita justorum quasi lux splendens. Proverb: 4

X. in idem.

Ex utero Matris, jam prodis Kostka beatus
Appinxit radios Numen, ab axe, tibi.

XI. in Idem.

Conde tuis faciem cultam splendoribus orbis
Jgnes sunt fatui, svavis imago doli.
Kostkam non falles, quam præfert vertice; flamma
Extinguet fictas, solis honore, faces.

XII. in Idem

Quid sunt illustres tituli? clarissima mundi
Nomina quid? veri luminis umbra nisi.
Castellano natus ut Jllustrissimus esses
Sanctæ puer melius, lumen & astra dabant.

XIII. in Idem.

Principis Astrorum Nomen dum pusio gessit
Stellifero major visus Athlante fuit.

XIV. in Idem.

Vives Astrorum respectu Kostule; Cæli
Pupillâ, vitam te comitante, petis.

XV. in Idem.

Pusio non natus Phœbo censore notaris
Publicô abhinc natûs sole probanda, geres.

XVI. in Idem.

Censeo thesaurum virtutis Te fore Kostka
Quem supra, Cæli flamma repente micat. (a)

XVII. in Idem.

Jn quem, tam fixum direxit lumen olympus
Debuit astrorum Kostka fuisse stupor.

XVIII. in Idem.

Quàm superis placeas è claro sidere disco
Cæli oculum solem fronte placente rapis.

XIX.

[a] S. pra latentes humi thesauros, di unt r flammas promicare.

XIX. *in Idem.*

Ad postes vigilat, Kostkam quæ clauserat, ædis
Titan; hæredem noverat esse Poli.

XX. *in Idem.*

Quantus eris Divine puer cum creveris; ortus
Qui nondum, solem tangere fronte potes.

XXI *in Idem.*

Vix doctam attigerat studiis pro more Poësim
Kostka, excelluerat vatis in arte puer. a
Præsciit id Phœbus, comitem se junxit; avebat
Præceptor teneri fidus & esse comes.

XXII. *in Idem.*

Jn Te cur fixit Stationem Kostule Titan?
Jnnocuo Virgo corde, vel agnus eras.

XXIII. *in Idem.*

Fortunam Kostcæ cæcam non credo fuisse
Cûi felicem oculum commodat ipse Polus.

XXIV. *in Idem*

Dignus eras toto pie pusio ab orbe videri
Digna legi virtus prolis, ab axe fuit.
Jn tenebris positam ut mundus legisset & astra
Accendit Numen sole calente facem.

XXV. *in Idem.*

Pluto para vires, intendas robur Averne
Gesturus prodit bella cruenta pugil.
Eludet sed tela tui, dextrasq; potentes
Vafrâ non poterunt arte juvare doli.
Nominis effuso, a Cælestis inungitur infans
Hic oleo; Athletam fecerat ipse Deus.

XXVI. *in Idem.*

Jn luctam vix unctus erat, jam victor, Averni

Cum

a In minoribus Scholis hebes, ubi humaniora attigit, reliquis excelluit Beatus. ex vita. b Oleum effusum Nomen. Cantic. 1.

Cum luctu, ex acie pulso Kostka redit.
Quodsi victoris suprema insignia quæras
Vincenti nomen a Numinis astra ferunt.

XXVII. in Idem.

Si servire Deo regnare est; hujus olivo
Nominis, in Regem Kostulus unctus erat.

XXVIII. in Idem.

Spicula torquet amor, vibrat fera spicula mundus
Jpso tela acuit sors adamante ferox.
Ne feriant Kostkam, Turris fortissima b Nomen
Efficiet Domini, lactea membra tegens.

XXIX in Idem.

Si nos Paulo teste vocamur Epistola Christi c
Æthereo scripsit quam, Deus ipse stylo.
Certius hæc fuerat Stanslaus Epistola; Nomen
Subscripsit propria cui Deus ipse manu.

XXX. in Idem.

Hoc oriente potens, hoc nomine d Kostka notate
A Patria occasum supplico, pelle domo.
Nec vacuæ cecidere preces. Oriente [illegible] bactus
Turcicus hoc oriens, occidet, omen adest.

XXXI in Idem.

Exiguos cineres, atomos sol sæpe pusillas
Projectis radiis ad sua tecta levat.
Me cinerem exiguum de Palladis obsecro arena
Jn tua regna puer sole corusce trahas.

Nascente B. Stanislao, Aquila ibi antea non visa, in culmine domûs consedit. R P. Stanislaus Kaluski in Concione de Beato Kostka.

XXXII.

Optatus Lechico vix Kostule nasceris orbi

Jmples

a Vincenti dabo Nomen. Apocal. 2. b Provérb: c. 8. c Epistola estis Christi. 2. ad Corinth: c. 3. d [illegible]iens Nomen ejus. Zachariæ c. 6.

Jmples prodigiis Patria tecta tuis.
Jntuitu fixo Te Regius aspicit ales
Hoc visus nunquam qui fuit ante loco.
Pusio quo Phæbo, fulgebas Matris in alvô
Hunc pûto Phæbividens lumine quærit avis.

XXXIII. *in Idem.*

Phæbeâ dubios explorans lampade fætus
Jnvigilat proli cur avis alma sacræ ?
Justitiæ solis radios passurus amæna
Fronte, per hanc infans Kostka probatur avem.

XXXIV. *in Idem.*

Irato quæ tela Deo, quæ fulmina summo
Inconcussa tulit fida ministra Jovi.
Hæc Kostkâ nascente Patris superincubat aulæ
Et missum;æthereo pignus ab axe stupet.
Orce pave, fallax Kostkam nec munde lacesse
Vos contra, puero fulmina, portat avis.

XXXV. *in Idem.*

Cæsare venturo volucres Romana vetustas
Vocibus instruxit terret ut ales ave.
Te veniente puer nostrum Divine sub axem
Lechicus ales adest ut tibi dicat Ave.

XXXVI. *in Idem.*

Kostka bonis avibus Lechicum procede sub orbem,
Patria Te natum concomitatur avis.

XXXVII. *in Idem.*

Stemma Lechi volucris nascente hoc, culmine sedit;
Patrono Kostkâ Lechia, summa tenes.

XXXVIII *in Idem.*

Ex Aquilis omen quisquis desumpsit, honoris
Cûilibet excelsi testis hic ales erat.
Sis quanti pretii quantiq; futurus honoris
Pusio sancte, docet præscius augur, avis.
Non humili Domino paret Regina volucris
Vel tibi, vel summo serviit illa Jovi.

XXXIX. *in Idem.*

Quæ Stanislao a secto per membra priori
Servit, in cumulum frustaq; sparsa tulit.
Hæc Stanslae tuum volucris custodiit ortum
Observans pueri, lumine, membra vigil.
Nam quæ per campos, Patroni sparsa fuerunt
In te juncta putat membra, sedensq; stupet.

XL. *in Idem.*

Audierant superi, nasci non vile sub astris,
Effundi terris nec rude, matre decus.
Expediunt aquilam pollentem lumine prompto
Quæ Jovis obsequio fida volucris erat.
Hinc jam non miror quod fixo spectet ocello,
Et nati vultus & pia tecta Patris.
Quæ verâ famâ ferret quærentibus Astris
Hæc oculo voluit tingere cuncta sagax.

XLI. *in Idem.*

Tiberius sceptri, Romam, capit omen, iturus
Ex Aquila, in Patrii fronte sedente laris; Svetonius.
Promissam Tu quondam aditurus Kostule Romam
Hâc Aquilâ Imperii certius omen habe.
Sed minus Imperium, flectas quo sceptra Quirini;
Quo frænes animos illius omen habes.

XLII. *in Idem.*

Arridente Jovi Ganymedem fronte placentem
Terris raptum, Aquilæ penna, sub astra tulit.
Ni custodisses Lechiæ Fortuna, tulisset
Kostkam exploratrix Ales in astra Deo.

Supra Kostcæ neonati corpusculum, Purpureæ Cruces à Matre Illustrissima conspectæ. P. Durjewski

in

a S. Stanislai Episcopi Cracoviensis corpus Aquilæ 4. custodierant. Dlugosz. juxta verò reliquos authores, frusta etiam unienda comportabant.

in memoria Domus Kostkanæ, & P. Tlu-
czymski in vita.

XLIII.

Vix artus Stanslae tuos effudit ab ulnis
Libera Cæligero pondere, sancta parens.
Purpureas per membra Cruces advertit; ab Astris
Quas Zeuxe editior pingere visa manus.
Aurati in superos dives thesaurus amoris
Priscô prodigiô (a) sub Cruce Kostka lates.

XLIV. *In Idem.*

Jam mundo Crucifixus eras, vix Kostule natus
Id non una probans crux sacra membra premit.

XLV. *In Idem.*

Terra cave tenerum vel Pluto lacessere Kostkam
Mox aget in multas Te puer iste Cruces.

XLVI. *In Idem.*

Armet dura licet contra Te prælia mundus
Conflictusq; puer prælia temne precor.
Non tua sub dubium veniet victoria; signum b
Hostem in quo vincas, Crux tibi rubra favet.

XLVII. *In Idem.*

Omnia succedent tibi prospera pusio; multâ
Quem benedicit amans Numen ab axe, cruce.

XLVIII. *In Idem.*

A senio nomen eur grandis habere senatus
Dicitur, hâud video; Kostka tenerq; negat.
Sub Procerum, vix natus erat, comparuit ostro
Sarmatiæ genitus Patre, Senator erat.

XLIX *In Idem.*

Ex animo pellas, mundi quâ Kostka favores,
Contulerant multam sidera chara Crucem.

L.

(a) Theodosius Imperator evacuato in egenos ærario, sub gemina cruce, ingentem opum cumulum effodit.
b Constantino Imperatori congressuro cum hoste, Crux lucidissima in nubibus apparuit cũ L. In hoc signo vinces

L. *In idem.*

Ingrediare viam cæptæ bone Kostule vitæ
Ut bene succedat, dat Deus ipse Crucem.

LI. *In idem.*

Viderunt natum mirata ut sidera Kostkam,
Formârunt magno rapta stupore Cruces.

LI. *In idem.*

Adversus pestem celebratus ab orbe Patronus
Purpureâ Rochus a sub Cruce natus erat.
Sub Cruce Stanslaus rubeâ dum prodit in orbem
Contra eadem, spero, Fata Patronus erit.
Nec spes Sarmatiam diuturna Peste cadentem
Nec Lechicas urbes fallere vota volunt.
Crosna, Jaroslavia, & turrita Leoppolis b atq;
Lublinum unanimi voce fatentur idem.
Dum gentes non peste cadunt, urbesq; Beati
Nominis in cultum fronte genuq; cadent.

Patrinus illico post baptismum, Stanislaum in ara reposuit, Deo offerens pusionem P. Durjewski Ib:

LIII.

Vix baptisma, caput sacro perfudit olivo
Lustralis tinxit vix tibi lympha genas;
Offereris superis, sacramq; voveris in aram;
Astrorum Domino victima svavis eras.

LIV. *in idem.*

Inseritur summæ cum pusio Kostulus aræ
Et puer & numen, dignus uterq; coli.

LV. *in idem.*

Altari jam dignus eras vix nascesis; annis
Jlicet à primis pusio sanctus eras.

LVI. *in idem.*

Terræ vilis hara hunc tibi non promitte puellum
Sideribus natum suscipit ara Dei

(a) Vadingus in annalibus Min. b P. Tylkowski.

LVII. *in Idem.*

Est fateor superis Stanslaus amicus ad aram
Per quam jurat eis pacta tenere puer.

LVIII. *in Idem.*

Instans ne rapiat Cælo Te Kostule mundus
Effugiens, aræ promptus asyla petis.

Ad verbum minus honestè prolatum à Convivis. languet, à sensibus alienatur, & sub mensam corruit, P. Tylkowski in vita Beati.

LIX.

Liberiùs cum verba labris inhonesta volârent
Et sua vibraret tela per ora Cypris.
Corruit in terram, velox ut falleret ictum,
Nec tetigit fixum corde, cupido scopum.

LX. *in Idem.*

A mandatorum reliqui cum semita aberrant
Astu Stanslaus nobiliore cadit.
Firmius haud staret; citius non pergeret unquam
Jactus in abjectam ni cecidisset humum.

LXI. *in Idem.*

O pueri Zelum! pro alieno crimine, terræ
In cinere allisus pænitet, ore, sinu.

LXII. *in Idem.*

Ne pectus penetret, penetret ne virus & aures
Obturat stratus, pectus & ora solo.

LXIII. *in Idem.*

Quod Divum potuit terris allidere, spurcum
Vulgatur verbum, verber at acre fuit.

LXIV. *in Idem.*

Procidis è mensa Dominorum Kostule, micas
Hac vesci liceat Dive, catellus a ero.

LXV.

a Alluditur ad Matthæi c. 15. versum 27.

LXV. *in Idem.*

Declinare liceê nescis hunc pectore casum
Te doctè castum dixero Grammaticum, a

LXVI. *in Idem.*

Audiit obscænæ JESUS cum verba querelæ
Se inclinans, digito b scribere visus humi.
Quid simile audierat, totum se pusio stravit;
Proscripsit toto se, furiale scelus.
Totus Kostka cadit simile auscultando; Paternæ
In toto digitus c dexteræ, amore, fuit. *Vel*

Aljis dormientibus. Stanislaus in terram in forma Crucis prostratus orat. Non raro ab aliis, quin ab ipso Fratre calcatur. P. Durjewski.

LXVII.

Dum placidus reliquis componit tempora somnus
Dum recreat fessos noctis opaca quies;
Tu vigilas, somni requie nec lumina claudis
Nocte micans, Cæli, Kostule sidus eras.
Creditur inde tuus vigilantius d esse Professor
Qui totô serô Te vigilare docet.

LXVIII. *in Idem.*

Te noctu fundente preces, intendit olympus
Astriferos oculos, lumina mille Polus.
Cum coleres superos fervent i voce; corusco
Respectu superûm sancte colendus eras.

LXIX *in Idem.*

Stratus humi aggrederis, sublimia sidera votis;
O quam humili casu Dive sub astra ruis.

LXX.

a Protunc studuit Grammaticæ sub directore Bilinski. b Alluditur ad Joannis caput 8. vers. 6. c Spiritus S. dicitur Digitus Paternæ dexteræ. d In Academia Cracoviensi studuit sub Gregorio Vigilantio Sambortano.

LXX. in Idem.

Carne solum, sed mente Polos orando petebas;
Sic Cæli in Terris incola Divus eras.

LXXI. in Idem.

Hybernum de corde gelu terra excute frigens
Accenso in Numen disce calere sinu.
In tua procumbit Stanslaus viscera fervens
Spiret ut in gelidas ignea vota fibras.

LXXII. in Idem.

Oraturus Kostka Crucis bene sterneris instar
Hoc format signum quilibet ante preces.

LXXIII. in Idem.

Dum Stanslae jacens calcaris, credo molesta
Calcar ad orandum, quod tibi planta fuit.

LXXIV. in Idem.

Orans Kostka, manus, tenues cur tendis ut alas?
Ocyus his pennis Dive sub Astra volas.
Quisquis corde Polos exambis, discito: plenâ
Factorum in superos posse volare volâ.

LXXV. in Idem.

Cur affundis humo ferventia pusio membra,
Si fixa æthereo mens super axe flagrat?
Fratris ut exemplo Paule ædificeris amantis
Se fundamentum nobile ponit humi.

LXXVI. in Idem.

Dura fuit Paulo pietatis semita; durum
Ad superos fuerat quod sequeretur iter
Hunc tamen ut grato duxisset tramite, Frater
Se Fratri facilem stravit in astra viam.

LXXVII. in Idem.

Paule, rosa est; noctu quidquid calcaveris; ora
Stanslai roseo picta pudore rubent.

LXXVIII. in Idem.

In Cruce Kostka velut, tellure Crucem exprimis armis
Est Crux devoto terra molesta viro.

LXXIV. *in Idem.*

Non fragilem Te Dive reor, qui pectore quamvis
Allisus terris integritate vales.

LXXX. *in Idem.*

Mortuus es mundo; vivendo Pusio Cælis;
Condere si pergis putre cadaver humo.

LXXXI. *in Idem.*

Magnæ semen eras pietatis Kostule, terris
Quod summæ summus fudit ab axe Pater.
Id, ne mundano volucres livore nocentes
Carpsissent; strato pectore fundis humo.
Jamq; tuo Pietas de pectore creverat; alta
Quæ superat summos fronte sinuq; viros.

LXXXII. *in Idem.*

Prompta repercusso mens impetu ut involet astra
Allidis frontem membraq; casta solo.

In minoribus Scholis minus Proficiens, humaniora & Rhetoricam ubi adiit, cæteris excelluit. P. Tłuczymski in vita Beati.

LXXXIII.

Infimas dum tractat, Studio dum corda minore
[illegible]it; in parvis proficit ille minus.
Pro[illegible] ille minus, planeq; videtur ineptus;
Par tantùm summis, grandibus aptus erat.

LXXXIV *in Idem.*

Divitiis teneros placitis dum perpolit artus
Humanus fieri cum Cicerone studet.
Doctrinæ ad normam dici qui humanior ambit;
Divinus junctis artibus, esse potest.

LXXXV. *in Idem.*

Cum votis gentes, aris accurrite; votis
Nil negat, humanus Kostulus esse studet.

LXXXVI.

LXXXVI. *in Idem.*

Nobiliùs reliquis dicendi calluit artem,
Numinis Orator dixit ad astra frequens;

LXXXVII. *in Idem.*

In verbo pulchrâ puer imbibit arte figuras
A verbo didicit, quod tulit antè manu.

LXXXVIII. *in Idem.*

Dicere pro Rostris novit facundius; artem
Hanc didicit, semper cum taciturnus (a) erat.

LXXXIX. *in Idem.*

Rhetoricos flores vernanti aperuit ore;
Cor, Nazaræni Floris at hortus erat.

XC. *in Idem.*

Cùm grata svadam depromeret arte solutam
Adstrinxit superos arctiùs ille sibi.
Cùm vinctis pedibus Mæonia metra ligaret
Solverat effusos in nova dona Polos.
Et Res Sacra fuit, (b) fuerat cum Kostka Pòéta
Cùm cecinit vates, Numine plenus erat.
Numine plenus erat, quod Musa beatior ulnis
Fuderat, Elisii mater amæna chori.

Assilientem canis formâ Diabolum, digitô efformata Cruce, fugat æger.

XCI.

Depositus jacuit Stanslaus pondere morbi
Acri per niveas clade furente fibras.
Et nisi sicut homo Divus decumberet æger
Verior in terris Angelus ille foret.
Roboris expertem ferus incola cerberus orci

K Forte

(a) Scribit Pater Tylkowski, Beatum à mensa semper se recipere solitum ad angellos ad orationē & silentiū.
b Res sacra Poeta est, neq; canere prius potest, quam Deo plenus. Plato.

Fortè ratus, patulo prosilit ore minax.
Sed digito vix Kostka Crucem formaverat; hospes
Tam malus in tetram maluit ire Crucem.
Cur tamen exiguo digito canis hirte fugaris?
Expertus nondum fortia tela manû.
Non simplex digitus, quo pulsus cessit in orcum;
Roboris ast index nobilioris erat.

XCII *in Idem.*

Herculeæ taceant veteres miracula clavæ
Fortior Alcidis viribus, ista manus.
Cerberus Alcidæ cessit tibi Kostule Dæmon
Jlle canem, Dominum tu premis arte, canis.

XCIII. *in Idem.*

Æger sis quamvis ægris & viribus; orcum
Attamen haud ægrè sternere Kostka potes.

XCIV. *in Idem.*

Articulo tenui tam fortem reprimis hostem
Adjuvat & pueri prælia, nulla manus.
Qui tot corda dolis seduxit tristè sinistris
Non meruit dextrâ Pluto perire manu.

XCV. *in Idem.*

Quam puerilis eras Plutonie Cerbere mentis!
Qui flexum digitum non potes ore pati.

XCVI. *in Idem.*

Trux canis à Kostka exspectes ne longiùs offam,
Angelico solùm vescitur ille cibo.
Nulla caro cordi, sapiunt nec carnis odores
Hinc nulla à puero, callidus ossa feres.

Post hanc victoriã visitur à Beatissima Virgine quæ Christum in ejus lectulo (juxta Hyacinthum Prußcz) in manibus vero (juxta P. Młodzianowski in Conc.) deposuit.

XCVII.

XCVII.

Pusio dignus eras celebri post bella triumpho
Plausibus æthereis Kostule dignus eras.
Hinc tibi Cælorum festiva in virgine Porta (a)
Panditur, in Christo plausibus apta via. b

XCVIII. *in Idem.*

Ut similis simili gauderet pusio Kostka
Indueras pueri maxime membra Deus.
Nulla tamen jactura tui speratur honoris
Crescere Te faciet Nomine Kostka suo.
Jesuita Ausoniis jam factus adultus in oris
Majorem effigiem præferet ore tui.

XCIX. *in Idem.*

Debuit in Kostka deponi Christus; amoris
Igne calens summi, qui fuit Ara Dei.

C. *in Idem.*

Ambires cum Kostka sinu venerabile Numen
In terris Cælum grande videre fuit.

CI. *in Idem.*

Kostule cum Christo lecto decumbis eodem
Cur? Christo junctus sanguine Frater eras;
Et quoties Nomen geminas sublime MARIÆ
Matris eam titulo, Matris amore colis.

CII. *in Idem.*

Ut Christum manibus gestares; Matris in alvo
Nomine JESU oleo Presbyter unctus eras.

CIII *in Idem.*

Vellera sint reliquis te totus inaugurat Agnus c
Magnus ut illustrîs Rex habeare Poli.
Cum Christo ut Regni ditione fruaris eadem
Una confrater qui genitrice viges.

(a) Richardus â S. Victore vocat B. V. Portam Cæli.
b Christus de se ait: Ego sum via. c Christus dicitur. Agnus Dei à Joanne.

CIV. *in Idem.*

Luce ſacra (a) Stanslao, Eccleſia jure lucernas
Tradit in Angelicas more colente manus.
Puſio qui gremio geſſit venerabile Numen
Hâud una cingi debuit ille face.

CV. *in Idem.*

Implet Evangelium de accenſis Koſtka lucernis
Quem præfert, Agnus (b) clara lucerna micat.

E manu Cælitum bis ſumit Eucharistiam. Semel in morbo, abactô Cerberô, dein in via ſacer transfuga. P. Sacchinus in vita.

CVI.

Victorum pretioſa tace convivia, Roma;
Quêis centena ſimul millia ſumpta refers
Plauſibus inſignis Victoris ne quid abeſſet
Koſtcæ, Cæleſtes fert ſacra turba dapes.

CVII. *in Idem.*

In Koſtkam jejunus amor ne Numinis eſſet
Æthereos puero miſit ab axe cibos.

CVIII. *in Idem.*

Longa via Auſonias tibi puſio reſtat in oras
Angelicas ſurgens, ſidere, ſume dapes.

CIX. *in Idem.*

Quam multo ſpretus penſatur fænore mundus
Pro cæno Cælum pro nuce Numen habes.
Atrum cum terræ, generoſus tempſeris orbem
Te niveo ſuperum ſpiritus orbe cibat.

CX.

Sphæricus eſt quo pane puer te ſidera paſcuns
Expers principii, ſine ſigura caret.
Quo Te numen amat, quo te complexus & Æther
Infinitus amor, puſio crede, fuit.

(a) In Polonia in Feſto Beati paſſim legitur Evang: ſint lucernæ ardentes in manibus. &c. (b) Lucerna ejus eſt Agnus. Apocal.

CXI.

CXI. *in Idem.*

Ad Christum festinus abis, tibi promptus ab Astris
Appróperat Christus reddit amore vices.
Advolet ut citiùs, citiùs curratq; volucris
Induerat sphæræ, panis in orbe, rotam,

A Beatissima ad Societatem JESU vocatur; Deiq; Genitricem, suæ Matris Nomine intitulat. P. Tłuczymski & P. Tylkowski Lib: I. vitæ.

CXII.

Si mare munificum tibi Mater Kostka Mâria?
Concepta es medio gemmula casta mari.
Pendenti ex humeris fervens si sole Genitrix?
Aurum es, quod Phæbus luce calente parit.
Conclusus concessa Parens si nobilis hortus?
Flos es Sanctorum, quem sacer hortus alit.
Optima si Mater pretiosi fæderis Arca?
Es felix, arcâ gaza reclusa puer.

CXIII.

Numinis â Genitrice, Patris sub signa vocatur
Ignatii, clarâ voce jubente puer.
Ad nutusq; volat; nullâ statione moratus;
Matris ad Imperium qui neget ire satus?

CXIV. *in Idem.*

Applaudo Lojola tuæ cum Nomine forti
Legibus applaudo, gratulor atq; tuis.
Provida dictavit (a) leges quas Virgo Magistra
Servandis faciles quæritat ipsa viros.

Orãs Viennæ, à terra elevatus cõspicitur. P. Durjewski.

CXV.

Ferreus adversûs fueras mala spicula mundi
Ferreus ad telum, quo ferit ater amor.
Hinc scio; de terra sublimis Kostka leveris
Cur? magnete Polus te super astra trahit.

[a] Ex vita S. Ignatii.

CXVI. in Idem.

Ignis es ætherei fervoris Kostule; centrum
Te Stanslae suum semper in alta levat.

CXVII. in Idem.

Terrenis opibus vacuus, nec pondere mundi
Oppressus; meritò Dive sub astra volas.

CXVIII. in Idem.

Cum medius terras dependeat inter & astra
Kostka Dei & Patriæ, vir mediator erit.

CXIX. in Idem.

Erecta superos semper quia mente petebas
Debuit hanc jussum corpus inane sequi.

CXX. in Idem.

Cum Te demittas ægro sub pondere carnis
Deprimat ac humilis cor grave mentis onus,
Accrescis pie Kostka magis, sustolleris alto
Ut palma accrescens pondere, justus (a) eras.

Fratrem insequentem fugiens, flumen sicco pede superavit; equis insequentium, interim hærentibus nec progredi volentibus. Idem.

CXXI. in Idem.

Insectaris equis profugum cur Paule puellum
Non poteris celerem quadrupedante sequi.
Attamen hunc si Paule placet contingere Fratrem?
Moribus, & Sancto corde sequare precor.

CXXII. in Idem.

Declinas fugiendo minas à Fratre feroces
Nec mersos, transfert pronior unda pedes,
Quam Consanguineos crudeles Kostka probasti!
Non parcit sanguis, parcit at unda tibi.

CXXIII. in Idem.

Dive licèt sine nave celer, sine remige curras
Gutta tuos tetigit, non tamen ulla pedes.

Ignis

(a) Justus ut palma florebit. Psal. 91.

Ignis tantus erat, quo fervens Kostka flagrabat
Ut non ausa foret lambere lympha pedes.

CXXIV. *in Idem.*

Ut Petrus ad Christum (a) properabas Kostule Romam
Te pariter timuit mergere grande vadum.

CXXV. *in Idem.*

Non merso pede, Kostka vagis celer innatat undis
Cui? morum gravitas fecerat esse levem.

CXXVI. *in Idem.*

Nullum grande scelus latuit sub corde Beatis
Submergi minimè fonte migrantu potest.

CXXVII. *in Idem.*

Qui Mundi pelagus superavit poplite fortis
Cur hic non superet flumina parva puer?
Qui voto fontem sibi vitæ b obstrinxerat; ille
Ad nutus habuit prompta fluenta suos.

CXXVIII. *in Idem.*

Non secto per frusta sinu Scyrus c innatat undis
Si fuerit fractus, mergitur actus aquis.
Totum Te superis offers, nil dividis orbi
Kostka tui, profugas nas super, altus aquas.

CXXIX. *in Idem.*

Fluctibus hâud pressus, fluvii per brachia curris
Et super undarum cærula secta volas.
Nominis effuso, sub viscere Matris, olivo
Unctus eras; justè culmine curris aquæ,

In Itinere ne à Fratre appropinquante agnoscatur, repente canitie velatur. Idem.

CXXX.

In Latium properas candore notabilis ipso
Ipsâ; crine nitens candidiore, nive.

a S. Petrus ad Christum ivit super aquas. b Christus Fons vitæ dictus à SS. P.P. c Plinius L. 36. cap: 17. historiæ naturalis.

Filio eras hominis similis, (a) nec homo Angele Kostka;
Cûi tegit innocuum candida lana caput.

CXXXI. in Idem.

Canities infusa tuis veneranda capillis
Est animo niveo concolor ista tuo,
Quæ lactis candore nitens nil foverat atrum
Hac niger hâud potuit crescere fronte pilus.

CXXXII. in Idem.

Nil puerile tuis Mundus conspexit in annis
Non spirat juvenes mens generosa jocos.
Viderat id Numens maturum sidera Kostkam
Fecerunt, canô crine tegendo caput.
Ut simul ac animo, præferret Kostka capillo
Provectum mento, mente graviq; senem.

CXXXIII. in Idem.

Agnus es innocuo præ pectore Kostule mitis
· Alba locô crinis vellera, fronte geris,

Per ignota viarum ab olore praeeunte ducitur. Idē.

CXXXIV.

Kostka fugis, formose fugis, per inhospita sylvæ;
Tramitis ignarus, tesqua per arcta fugis.
Ne tamen exerres recto de calle viarum
Monstrat iter, celerem qui comitatur, olor.
Cæli sidus olor cui pandit & abdita prædux
A summo nunquam deviat ille Polo.

CXXXV. in Idem.

Jam mundo moriturus abis pie transfuga; terræ
Illico qui cantet funera, stipat olor.

CXXXVI. in Idem.

Ante vehebatur Cytherea Mater olore
Delitium fertur Cypridis esse Cycnus.

Nunc

a Alluditur ad Filio hominis similem descriptum.
Apocal. cap. 1.

Nunc præit Kostcæ; spolium de Cypride victa
Plausurus Romæ pusio, credo vehit.

CXXXVII. *in Idem.*

Desuper albescens candenti Cygnus in ala
Intus carne niger, Te bene Dive præit.
Vertice canitiem, sed nigrum corde gerenti
Jesuitam puero, par erat iste comes.

CXXXVIII. *in Idem.*

Concertant Aquilis forti certamine Cygni
Nec raro, adverso prælia marte gerunt.
Deseruisti Aquilam contemptor Kostka Polonam
Hinc tibi junctus olor transfuga sancte favet.

Abit Romam ad Novitiatum. P Skarga & alii.

CXXXIX.

Orbis Kostka, caput, superis ut serviat, ambit.
A capite orditur solvere vota Polo.

CXL. *in Idem.*

Orbis debetur capiti tua Kostule virtus
Testibus & superis, nam capitalis erat.

CXLI. *in Idem.*

Cur spreto mundo tot pusio regna peragras?
Ut plus conculces orbis, id arte facis.

CXLII. *in Idem.*

Emensus tot sceptra puer, prætervolat oras
Nec bene subsistit donec in urbe Petri.
A Paulo durè tractatus Fratre, querelas
Romæ, fortè Petro depositurus abit.

CXLIII. *in Idem.*

Cum mala prædixit mundi discrimina Christus a
Svaserat in summi cedere saxa jugi.
In montes septem recipis Te transfuga sancte
Plurima per mundum stare pericla vides.

CXLIV.

a Matthæi cap. 24.

CXLIV. *in Idem.*

Imperii Lechici custos pia flamma, (a) Quirinia
Enutrita, precor vive perennè fibris.

CXLV. *in Idem.*

Candida Cælorum fueras, scio, Kostule gemma
Annulus hanc voluit claudere corde, Petri.

In Festo SS. Simonis & Judæ Thadæi ad Religionem suscipitur. P. Skarga in vita. & P. Tłuczymski.

CXLVI.

Autumno legitur Lojolæ Kostka Parenti;
Arbore de vitæ fructus adultus erat.

CXLVII. *in Idem.*

Festa dies, JESU defixit in ordine Kostkam;
Luce sacra dignus, Kostka Beatus erat.
Luce sacra celebrandus erat; festoq; colendus
Cui primæ classis gesta fuisse lego.

CXLVIII. *in Idem.*

Festiva cum luce labor tellusq; quiescat
Dive negas cæptâ Kostka quiêsse viâ.
Attingat nisi flamma suum sub sidere centrum
Absq; quiete datum quærit in axe scopum.

CXLIX. *in Idem.*

Desperatorum Thaddæo Kostka Patrono
Lojolana subit tecta, togamq; capit.
Desperare nefas Kostkanum Leche favorem,
Spem tuto Judas corde fovere iubet.

CL. *in Idem:*

Trusit Achæmeniis a cultum qui solis ab oris;

Sub.

a Romæ alebatur perenniter à Vestalibus ignis, qui dicebatur: Custos Imperii flamma. b S. Judas solis cultum Persis interdixit.§

Sub Matris rutilum viſcere, ſole, colit.
Et colit, Ignatio puerum traditq; colendum,
Juſtitiæ ſolis nam fuit ille jubar.

Ad S. Andream Novitiatum abſolvit. Sacchinus & alii.

CLI.

Ad Divi Andreæ, Sanctæ primordia vitæ
Virtutisq; baſim, principiumq; jacis.
Sub Crucibus roſeis fueras quia natus in orbem,
Naſceris Andreæ ſub Cruce, Koſtka Deo.

CLII. *in Idem.*

Te socius Petri Paulus tractavit amarè
Penſat id Andreas frater, amore, Petri.

Inſtituitur in Novitiatu à Claudio Aquaviva, poſtea Generali Societatis. Tłuczymſki.

CLIII.

Puſio continuis arſit ſub pectore flammis;
Ne conflagraſſet, proxima cavit aqua.

CLIV. *in Idem.*

Implantate horto concluſo Koſtule creſces
Te viva indulto fonte rigabit, aqua

Ab eodem vocatur; Angelus corde, Angelus opere, Angelus ore. Idem.

CLV.

Angelus eſt corde, eſt opere Angelus, Angelus ore;
Rem miram! Angelus hic trinus & unus erat.
Trinus & unus erat; ſub imagine Koſtka creatus
Numinis, ipſa fuit Divus imago Dei.

OCCUPATIONES
Novitiaticæ B. Stanislai.
Meditationes.
CLVI.

SI Kostcæ comitem me tempora prisca tulissent
Lumine libassem si proba facta vigil.
Dixissem humanâ pietatem carne latere
Dixissem puerum, Numen amore calens.
Jlla, revolventis Divina, modestia vultûs
Jlle exporrectæ mentis ad astra vigor.
Quid? nisi Kostkanis animatam viribus, orbi
Virtutem tenera vivere fronte canit.
Mira sub Angelicis accensa incendia fibris
Jncendunt animos in tua vota meos.
Hæc tamen, ut socii a quondam tua pectora lymphis;
Fontibus Aonii temperat unda vadi.

Lectiones Librorum Spiritualium.
CLVII.

Lustrares oculo cum sancta volumina casto
Pasceret & frontem littera sacra tuam.
Sollicitus veterum volvens, monumenta Virorum
Jam nova patrabas gesta legenda puer.
Cælicolæ vinci se se stupuere; notantes
Jn Libro vitæ, quidqnid in orbe geris.
Jpsi verô libri de Te certasse feruntur
Ut sua verba legas hic petit, ille rogat.
Agnus at innocuus tu septem Kostka sigillis b
Scriberis occlusum solvere sæpe librum.

Exa-

a Jncalescentem, & planè ardentem in pectore amore Dei Kostkam non raró socii, telis frigidâ madefactis & pectori applicatis recreabant. Skarga, b Alluditur ad Apocal. c. 5.

Examina Conſcientiæ.

CLVIII.

Diſcutit intactam cum ſtricto examine mentem
Accipit ad lancem dicta vel acta parem.
Tunc examen apum præſtante labore putatur
Floribus Eliſiis carpere dulcè, favum.

Obſequia Culinæ.

CLIX.

Obſequium memorem vilis ſi grande culinæ
Si parens tenui pectus equeſtre coquo.
Conditos ſapidis coxiſti hic moribus artus
Ad guſtum ſuperis ut probe Koſtka fores.

Ligna ſub numero præfixa portat.

CLX.

Sub numero præfixa tibi cum ligna ferebas
Exceſſit numeros debita fama tibi.

CLXI. *in Idem.*

Portabas humeris cum ſylvæ fragmina; flammas
Ac aleres, calido ligna ferendo foco.
Tunc velut Abramides lignorum faſce gravatus
Victima currebas grata futura Deo.

Mortificationes Spontaneæ.

CLXII.

Sponte tua inflictas carni ſi dixero clades
Aut inciſa humeris vulnera cruda tuis.
Tabi quot guttas, tot carne corallia fundis
Ornent æternum quæ diadema tibi.

CLXIII. *in Idem.*

Innocuos artus cum diſciplina feriret
Stringeret & pueri membra, catena ferox,
Mancipium obſtrictum te vates diceret aſtris
Aſt hæres Superûm Koſtule liber eras.

Con-

Connovitii, subitaneo in terras lapsu confractis vitris, invocant Beatum præsentem: Stanislae Omnipotens salva. *Eoq; orante vident vitra redintegrata. R. P. Stanislaus Bielicki in Conc. de Beato.*

CLXIV.

Damna queror, miræ querulor dispendia dextræ,
Et nectente, vitri frusta ligata, manu.
Jlla forent sancto fragmenta Pöëtica vati
Nominis in laudes pusio sancte tui.
Sacra licet Patrone, tamen fragmenta recusas;
Laudari ex toto Stanesilae meres.

CLXV. *in Idem.*

Intulerat quæ damna manus, pia lingua resarcit
Dexterа quæ segnis subruit, ora struunt.
O! Novus Omnipotens in terris Kostka creator;
Dixit & integro facta a vitrella sinu.

Ad Famam Kostkanæ mortis, populus concurrit. P. Skarga & P. Tylkowski.

CLXVI.

Victor Kostka sui, moriens vim fecerat Astris
Ad tumulum properat tracta stupore cohors.
Vim Cælum patitur b Kostka moriente; stupendâ
Excita vi, tumulum plebs numerosa petit.

CLXVII.

Extinxere tuam violenta incendia vitam
Hæc dum grassantur, plurima turba venit.

CLXVIII.

Natales Stanslae tuos miratur & ales
Funus verò sacrum plebs stupefacta colit.

Est

a Alluditur ad verba Psal. 32. de Creatore: Quoniam ipse dixit & facta sunt. b Alluditur ad illud: Regnum Cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud.

Eſt in Te quod & aſtra colant, veneretur & orbis
Aëris & terræ crederis eſſe ſtupor.

CLXIX.

Sol niſi deficiens ſpectatur, teſte Latino
Annæo, patitur lumina, luce carens.
Deficiente tuâ per funera, Koſtka ſalute
Spectaris, fas eſt dicere, Phæbus eras.

Nicolaus Oborſki ad tumulum B. orans, miro odore perfuſus, Societatem expetiit & iniit. Pater Tłuczymſki.

CLXX.

Quem mors obtrivit puerum, fragrantia ſtipat
Flos magis attritus ſemper olere ſolet.

CLXXI. *in Idem.*

Sordebat cui terra, pio velut ante Parenti
Lojolæ, illius membra perungit odor.

CLXXII. *in Idem.*

Ignibus injectum, moriens thus ſpargit odorem;
Succina cum perimit carbo cruentus, olent.
Teſtantur medici quod ab igne peremptus amoris
Koſtka peris, redoles; thus caro caſta fuit.

CLXXIII *in Idem.*

Proiicit in quendam Chriſtus terrore querelam
Quod fœtere ſuum Nomen in orbe facit.
Tu Nomen bene coram Fratribus iſtud olere
Cùm facias, querulum non vereare Polùm.

CLXXIV. *in Idem.*

Credite Valerio per metra Latina fatenti;
Non bene ſemper olet, qui bene ſemper olet. a
Fucos, vivus humi nunquam redolere volebas
Et bene, poſt mæſtum Koſtule funus oles.

a Valer. Martialis Lib: 2. Epigr: 8.

CLXXV. in Idem.

Surgente è tumulo Stanslai, tractus odore,
Lojolæ Oborski tecta beata petit.
Unguentorum in odorem (a) quod probe pusio curras
Cum sponsa felix ingeminare potes.

Laudatur Beatus publica & impressâ Panegyri ab A.R. P. Joanne Paulo Oliva Præposito Generali S. J.

CLXXVI.

Kostka, quód ætherea pridem sub pace quiescas
Orator laudis, testis oliva, tuæ.

CLXXVII. in Idem.

Clausit & excessit charites qui moribus omnes
Hunc celebrare satis gratia b sola potest.

CLXXVIII. in Idem.

A Paulo decuit laudari Patre; notatur
Quem Paulus Frater vituperasse c nimis.

CLXXIX; in Idem.

Nulla magis potuit specialis gloria ferri
Hac, tibi Dive litat quam Generalis amor,

CLXXX. in Idem.

Excoluit Generalis d amor quam dogmate vitam
Digna fuit, caneret quam Generalis amor.

CLXXXI, in Idem.

Laudes in famam sancti exarsere puelli
Hæc dum facta canit, dum canit illa genas.
Nominis affudit magnus Generalis Olivam
Ut flammas aleret, surrigeretq; magis.

CLXXXII. in Idem.

De puero Kostka laudes certamen inibant
Quæ prior in magni Nominis iret opus?

Cum

a Alluditur ad caput Cantic: 1. vers. 3. b Joanne Gratia. c Ly vi produxit Terentius. d In Novitiatu instructus à Claudio Aquaviva postea Generali,

Cum velut Athletæ colluctarentur arenâ
Qua possent ungi proximè oliva fuit.

CLXXXIII. *in Idem:*

Jejunas Kostcæ laudes ne crede fuisse
Condierit quamvis svavis oliva stylum.
Quin super iverant facundi flumina Tullii
Voces quas magnus tinxit Oliva Pater.

Polonis Turcas ad Chotimum profligantibûs apparet curru vectus cum Christo & B. M. V. P. Nicolaus Oborski in Relat. Miracul. B. Stanislai. & P. Tylkowski Lib: 2. vitæ.

CLXXXIV.

Hic ubi Chocimiis tumefactæ collibus arces
Intentant superis fronte rigente minas.
Hic Lechiæ clypeata cohors, hic Sarmata Mavors
Bisthonis in terras arma cruenta tulit.
Dumq; furens Oriens rapidis certamina pugnis
Tentat, & astra sono dum reboante quatit.
Immiscet dextras manibus, pugnamq; lacessit
Et Lechico, fortis lecta sub axe manus.
Assultu super arva gravi, pugnatur utrinq;
Jactibus assiduis hic cadit, ille ruit.
Interea rutilo vehitur super àéra curru
Cum Maria parvum Kostka vehitq; Deum.
Vix patuit; Fortuna Lecho favisse probatur;
Kostka suo, cæcæ, flexerat axe, rotam.

CLXXXV. *in Idem.*

Bisthonis obscuret majori ut lumine Lunam,
Justitiæ solem Kostulus axe vehit.

CLXXXVI. *in Idem.*

Plaudite victores Turca fugiente Poloni;
Kostka triumphales commodat ecce rotas.

CLXXXVII. *in Idem.*

Ignorans rutilos agitare per æthera currus
Jncendit Phaëton terrea regna cadens.
Tu meliùs flectendo rotas Patrone, Polonas
Incendis faciles in pia bella manus.

CLXXXVIII. *in Idem.*

Sol oriens, pelagi frontem de fluctibus effert,
Actâ, sub tumido fonte, quiete, maris.
Ut tu submergas Orientem Kostka; Mariam
Ut mare multiplicis muneris, axe geris.

Observatum eo tempore, caput ex Italia in Poloniam, B Kostcæ illatum, quo tempore Turca ad Chotimum partim fugatus, partim ad petendam pacem, coactus. Kobierzycki in hist: Vladislai 4ti. & P. Tylkowski & P. Durjewski.

CLXXXIX.

Cinge tuos pulchro diademate Gallia Reges;
Alphonsos orna Hiibilis ora tuos.
Nec tibi tergeminas præ vertice Kostka coronas
Invidet, Ausonium Martia Roma decus.
Submittit Patriæ, Latios linquendo Penates,
Ornandas Lechico (a) Divus honore genas,
Quòd præ fronte Polum gessit, præcingere sola
Hoc dignè poterat victa Polona caput.

CXC.

Vix Stanslaus adit Patrii confinia Regni
Infers Sarmatiæ vix pie Kostka caput.
Incumbens Lechicis Mavors Othomanicus oris
Ceu forti à superis fulmine tactus abis.
Ac emensa fugit volucres fera Cynthia cursus
Eclypsim in proprio mox subitura solo.

Matris

a) Depositum caput hoc Cracoviæ, ubi Reges Poloniæ coronantur.

Matris adhuc in visceribus quæ stella nitebat
Frons; huic debuerat cedere luna minor.

CXCI. in Idem.

Affectum de fronte lego, decerpo favorem
Qui sub sincero corde latere solet.
Si blandos sensus tenero mens pectore nutris,
Et faciem penetrant, frontis in axe patent.
Addictum Patriæ, quia cor tumulatur in orbe
Distanti, affectum nec potes ore loqui,
Kostule; sufficiet nobis cum tempora donec
Hac ex fronte tuus Dive legetur amor.

CXCII. in Idem.

Lechia ne Turcam vereeris, tela Getarum
Et Scythicam, plausus conscia, temne manum.
Absq; armis Gr d re tuis superabitur hostis
Et Bellona minis, corruet absq; tuis.
Stemmate fert Kostkana Cruces Calvariæ trinas;
Te crux, trux Biston non satis una manet.

CXCIII. in Idem.

Desine Zopyrum Dari jactare fidelem
Tu fida in Dominum gesta Carelle (a) tace.
Europi facilis solertia Gracche sileto
Obsequia, & volucres in sua jussa gradus.
Non celebro merita & Troiani Nomen Achatis
Quæ persolvit heris officiosa manus.
Plus Stanslaus agit Patriæ famulando; Polonis
Dum caput obsequiis devovet ipse suum.

CXCIV. in Idem.

Magnates perimant Turcæ si quando p e ntes
Addicendo feræ nomina summa neci.
Tristes cædendo scribunt hoc more tabellas:
Hoc in Epistolio tu mihi mitte caput. b

(a) Fidissimus servus Gundibergæ Longobardorum Reginæ, teste Paulo Diacono. b Radivillus in peregrinatione Hierosol.

Vidisti extremam minitari Kostule cladem
Sarmatiæ Turcas, interitumq; Lecho.
Quo Patria objecto, semet tueatur ab ictu,
Romulea Proprium mittis ab urbe caput.

CXCV. *in Idem.*

Canities veneranda caput quod compserat olim
Transmittis Patrio nate beate solo.
Consilium, ratio, grandi cum mente, senectæ
Ac annis capiti fertur inesse gravi.
Ut genti prosis maturô Dive Polonæ
Consiliô, donas tempora cana Lecho.
Facundam Lesbis, minimè frontem invidet oris;
Kostka tuum, Lechicus dum caput orbis habet.

CXCVI *in Idem.*

Aude prole tuâ dotata Polonia Mater
Ardua supremæ fundere vota spei.
Sume paludatos audax fiducia vultus
Procertò intentis non spolianda tuis.
Funestare licet lachrymis non amplius ora
Atque pusillanimi frangere mente caput.
Quæcunque exambis, submisso his vertice Kostka
Annuerat; proli Lechia fide tuæ.
Anceps non ultra nutabit spes tibi; sacri
E nutu capitis certius omen habe.

CXCVII. *in Idem.*

Exemplum in Patriam perfecti sumat amoris
Ignorat Patriam qui redamare suam.
Vatrâ Callimachi quisquis mala tempora fraude
Torquet & ingenium, torqueat ut Patriam.
Hinc tam grande scelus dediscat, discat abinde
Quisq; bono publico grande dicare caput.
Præstitit id Patriæ bene gratus Kostka, Polono,
Verticè sollicitô, prospiciendo bono.

CXCVIII. *in Idem.*

Sincerus persæpe probatur amicus ad urnam,

Verus amor, quem nec trux Libitina secat.
Est post Fata favor constans, post funera durat
Olim qui vivo pectore crevit amor.
Victurum exhibuit tumulo Arthemisia cultum
Mauzoli, fœdus Parca nec atra scidit.
Das Stanslae caput Lechico post funera Regno
Affectum in Patriam non obiisse probas.

CXCIX. *in Idem.*

Roma quid in superos tollis Capitolia plausu
Et sola Ausonium spargis in orbe decus.
Desine festivo Numana palatia cultu
Atq; Quirinales ferre sub astra domos.
Eruta ruderibus dedit his Calvaria Nomen
In fundamentis fronsq; reperta tuis.
Concessum à Lario caput hoc, Capitolia nobis
Fundabit; Lechiæ vel capitale decus.

CC. *in Idem.*

Das animi sedem Patriæ cur Kostule frontem?
Cur non Angelicam mittis ab urbe manum?
Forsan ut adversûs Turcas Patrone Polonis
Infundas animos, das generose caput.

CCI. *in Idem.*

Carmanæ genti solitum non improbo morem
Non damno leges æqua statuta colo.
Qui caput hostile attulerit, mercede supremus
Jlli cum donis obveniebat honor. Causinus.
Pridem Dive tuæ justisima præmia vitæ
Exspectas, solùm Kostka beate diu.
Promissum ut citius Sancti merearis honorem
Fers Patriæ proprium Stanesilae caput.

CCII. *in Idem.*

Incutis horrorem crebrò calvaria vivis
Et sub corde cient ossa reclusa metum.
Mox, objectum oculis subito terrore cadaver
Osse tumens, profugos cogit abire pedes.

Turca fugit, tua dum ingreditur Calvaria Kostkas;
Forte metu simili castra superba fugat.

CCIII. in Idem.

Perripatho jam certa fides præstanda; sub ima
Dum memores species fronte latere docet.
Hinc sit quod frontis percusso vertice, dextrâ,
Quæ menti exciderant, facta redire solent.
Et, probus ut memorem Patriæ se Kostka probaret,
Totum illi Latio misit ab orbe caput.

CCIV. in Idem.

Desperare nefas si habeas hanc Lechia frontem
Qui neget est effrons. hanc caput esse spei.
Grande Reipublicæ corpus vel militis annos
Stabit in innumeros dum caput istud habet.
Quodsi consiliis egeas, ratione statuq;
Id caput ad mentem noveris esse tuam.
Accipias igitur prono hæc cole tempora vultu
Tempora Saturni si remeare velis.

Urbanus VIII. Pontifex, differens de B. cum Georgio Tyßkiewicz antistite Vilnensi, dixerat: Stanislaum, parvum puellum, magnum Sanctum. Tylkowski in ingressu ad vitam Beati.

CCV. in Idem.

Præstitit Urbanum nunquam se more vel ore
Nobilius, Kostkam quam celebrando Pater.

CCVI. in Idem.

Si laudat te Sancte puer; Sanctissimus ipse?
Te qui non laudat, pessimus orbis erit.

CCVII. in Idem

In cultus paradoxa tuos Urbanus adegit
Deq; tuo pugnam fecit honore decor.
Parvus es & magnus; juvenili corpore parvus
Maturo magnus pectore, mente, manu.

Annulus es Pyrrhi exiguo præ vertice, plenos
Astrorum cætus, numina magna tenes.
Nucleus Iliadem modico sub cortice claudis
Quæ possit tumidos mole gravare libros.
Arcto seu speculum perhibens sub viscere; vultu
Implens, quæ geminos. axis humiq; globos.
Alæ seu Angelico detracta beatius armo,
Quæ par sit multos una (a) operire Polos.

Ab Abrahamo Bzovio, dicitur Lilium Soc: JESU.

CCVIII.

Lilii inauravit qui Kostkam Nomine, candor
Hunc docuit teneros intitulare viros.
Est, velut in rigidis radiantia lilia spinis
Sic inter natos, pusio Sanctus, Adæ. b

CCIX. *in Idem.*

Non obtrude tuos Salomon speciose nitores
Nec jactes rutilum frontis honore jubar,
Gloria haud Salomon sic est coopertus in omni
Ex istis unum ut pusio Kostka nitet. c

CCX. *in Idem.*

Candida si niveum sunt florum lilia Reges
Rex inter castos Stanislaus erit. d

Alexander Kostka, Comes Joannis Casimiri proficiscentis adversùs Cosacos cum Lechicis copiis; E.

(a) In fundamento continui Philosophici b Alluditur ad illud: Sicut lilium inter spinas, sic &c. c Alluditur ad illud Matt. 6. Nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. d R. P. Antonius Vieira postquam narravit. Beatum spurcô ab alio prolatô verbô, languore corripi solitum & cadere, ait: Quod quidem exemplum de nullo cælitum legitur. In Concione de Beato.

Kostkam Lublini in Templo S. J. sub imagine Thaumaturgum, donat torque aurea. Ex hist. M. S. Sacelli Lublin: CCXI.

Arctiùs obstrictum Fratri se, Kostka fatendo;
Stanslai, aurata compede membra ligat.
Audiit Eoos miris clarere per Indos
Fratrem, ac Hesperio sole cadente coli.
Ne fugeret Patriam, ne transferretur Iberis,
Adstrinxit Patrio corpora Sancta solo.

CCXII. *in Idem.*

Ferrata genitor promittens compede nodos
Audaci natum læserat ante Stylo.
Placet ut offensum, Patris compenset & iras
Ferrea commutat vincula, torque cliens.

CCXIII. *in Idem.*

Desponsaturus Lechiæ per fœdera Kostkam
Torques, fœderibus munera (a) sueta vovet.

Floribus, Lipsanis Divi, attactis, plurima in sanandis ægritudinibus patrantur miracula. P. Tluczymski. CCXIV.

Est in flore decor Stanslai, in flore triumphus
E portentosis floribus hisce lego.

CCXV. *in Idem.*

Perge triumphali Stanslae in sidera passu
Mira tibi insternunt floribus acta viam.

CCXVI. *in Idem.*

Crederis ad Kostcæ, Florentia Lechia, flores
Marcescet nunquam cujus in orbe decor.

CCXVII. *in Idem*

Rideo Pendentes Syriæ Semiramidis hortos;
A Kostcæ pendet floribus alma salus.

Scy-

a Torques inter munera sponsalia recenset R. P. Radau in Oratore Extemp.

Scythis Leopolim tentantibûs, imago ærea B. Kostcæ Turri affixa, vultu ad Collegium nostrum obversa, transtulit se in partem illam & portam, quæ graviorem assultum patiebatur. P. Bielicki in Concione de Beato.

CCXVIII.

Festivas solvo tibi Kostule carmine grates
 Ornes quod Versus, gratia summa, meos.
Quam facis ex Turri vultu, translatio; miro
 Mettaphoræ excedit grande lepore decus.

CCIX. *in Idem.*

Quà graviora Gethæ, portam fulgetra flagellant
 Opponit verso Kostulus ore sinum.
Palladis insignem veneror non Ægida vultu;
 Grandiùs his terrent æra notata genis.

Dæmon in Energumena Hispana adjuratus à Sacerdote, B. Stanislaum eloqui nequit, hallucinans tantùm depromit: Sanlilaus. P. Tłuczymski.

CCXX.

Dæmonis ore nequis vesano Kostule dici;
 Casta negat, plumbi viscere, gemma tegi.

CCXXI *in Idem.*

Invide Stanslaum quamvis proferre recuses
 Vel spurco condi laus, tamen ore nequit.
Erumpit laus clara labro titubante; latere
 Nunquam vel mediâ Cynthia nocte potest.

Anno 1611. Cum restauraretur Turris curialis Cracoviæ, imposita est à Civibus imago Beati, & particella tumbæ ejusdem unà cum Evangelio. Ejecto inde novo testamento, erroribus Erasmi Roterodami scatente. Idem.

CCXXII.

CCXXII.

In summò; cultum Kostcæ Cracovia nutris,
Si colis in summo lipsana fixa loco.

CCXXIII. in Idem.

Infra oculos urbs prisca jaces, vultumq; Patroni
Respectu Kostcæ semper habenda jaces.

CCXXIV. in Idem.

Ne metuas, spe nixa vafrum Cracovia Fatum
Prospicit ex alto vertice Kostka tibi.

CCXXV. in Idem.

Naufragium timeas mundi nec ab æquore, vinces,
Navibus ad portus hac rutilante Pharo.

CCXXVI. in Idem.

Urbs vati credas, est celsa fidelis testis;
Ad nutum semper, Kostka fidelis erit.

Fratri Simoni Bucero, Manuductori Panormitani Tyrocinii, Beatissima comparens cum B. Stanislao, preceperat ut Tyronibus peculiarem erga se, simulq; B. Stanislaum devotionem insinuaret P. Ant. Natalis Lib: de Conversatione Cælesti.

CCXXVII.

Digna coli Mater, dignissima Mater amari
Ambit cum Kostka prole, Maria coli/
Provida, quâ Nati meritos superinduat armos
Gloria, adoptivo quærit honore Stolam.

CCXXVIII. in Idem.

A parvo grandis comitatur Virgo puello;
Sidere præcingi Luna minore solet.

CCXXIX. In idem.

Cum proprio cupiunt celebrari viscera partu;
Gemma & concha parens gaudet honore simul.

CCXXX. In idem.

Obsecro quisquis amat cultu fervente Mariam
Kostkam amet; est sobolis fama, Parentis honos.

LIBER SECUNDUS.

De Stanislais Polonis Sanctis aut Beatis, aut opinione sanctitatis claris, ad celebrandum B. Stanislai Nomen, collectis.

S. STANISLAUS Episcopus Cracoviensis & Martyr.

Nascitur ex Parentibus per annos 30. sterilibus; ædificato, ex voto, pro prole obtinenda, Templo S. Magdalenæ. Dlugosz in vita S. Tract: 1.

Epigramma I.

Luctatur natura diu luctantur & artes
Grandia ut exhibeant grande stuporis opus.
Fungus iners modicâ, tellure extruditur, hc sa,
Vertice par astris, sæcla fatigat acer.
Angusto tenues adolescunt vere myricæ;
Ramea decrepitum robora tempus alit.
Bina laborarunt annis lassata ducentis
Sæcula in Ephesiæ (a) fana superba Deæ,
Ast habitata Iro lugubria tecta colono
Surrexère brevi ducta sub astra, die.
Obstupefacta diu natura tenacior hæsit
Quam tua Maternis funderet ora fibris.
Nec citius potuit pignus formare stupendum
Aptos formando præmeditata modos.

Vix

(a) Templum Dianæ Ephesinæ inter septem orbis miracula relatū impensis totius Asiæ ædificabatur annis 220

Vix bene ter denis orbi redeuntibus annis
  Effudit, par est dicere, magnus eras.

II *in Idem.*

Invida telluri puerum Natura negavit
  In proprio pignus dulce fovendo sinu.
Delectaretur prolixè ut sola puello
  Ipsos Participes noluit esse Patres.

III. *in Idem.*

Jucundæ num prolis amans deliberat? utrùm
  Regis ad infandam sit genitura necem.

IV. *in Idem.*

Ut Lucina parem effudisset amica, Joannis
  Aptando insumpsit plurima lustra tibi.
Et bene, consimili casurus morte, Joanni
  Ordiris vitæ lumina sorte pari.
Idalium plectendo scelus cecidistis uterq;
  Morte pares, ortu consimilesq; Viri.
Ergo suum numerat te Lechia flexa Joannem;
  Quô, Patrio nullus major in orbe stetit.

V. *In idem.*

Numinis ad gústum sene nasceris edite Patre;
  Semper dulcior est arboris uva senis.

Nascitur in campo ad puteum. Idem ibid.

VI.

E campo cum Bogna redux properaret in ædes,
  Maturâ in partum prole, beata parens.
Carcere de Matris gravidæ prorupit in auras
  Pusio, qua campi jugera lata patent.
Vix natus tàm magnus eras Stanslae, Paterna
  Claudendo ut fuerint tecta pusilla tibi.

VII. *in Idem.*

Astrorum Stanslae lepos, oculiq; voluptas
  Ore placens superis, fronte placensq; Deo;

Liberiùs cupidis ut ſpectareris ab aſtris
Debuerant nulli præpediiſſe lares.

VIII. *in Idem.*

Currite non trepidi fidente cohorte, Patronus
Stanslaus quibus eſt, clade petente, viri
Ut faciles aditus nulli domus arcta negaret;
Extra tecta ſui naſcitur ille Patris.

IX. *in Idem.*

Paſtor Divina quondam de lege futurus
Maturè, campi paſcua quærit ovi.
Sicq; per agrorum rutilantia gramina paſtas
Vicinâ putei lympha adaquabit oves.

X. *in Idem.*

In campi, vix nate puer deſcendis arenam
Cum vitiis heros prælia crebra geres.

XI. *in Idem.*

Quo conſurgat amor Lechicos pietaſq; per agros
In campos ſemen miſit ab axe Deus.

XII. *in Idem.*

In pulchro ſtabit quondam tua gloria flore;
Vix natus, vernas flos ſpecioſus agri.

In loco Nati, fons limpidus illico prorumpit. P Młodźianowſki.

XIII.

Conceſſit vix Mater humo te Dive; lavando
Balnea providit terra polita, tibi.

XIV. *in Idem.*

Te ſibi conceſſo erumpens in gaudia tellus,
Necq; tenet lachrymas pignore læta ſuas.

Naſcitur in Auguſto Długoſz in vita S.

XV.

Auguſto meſſes mittente ſub horrea; meſſis
Naſceris in campo, gloriæ amæna Patri.

XVI.

XVI. *in Idem.*

Augustæ Nomen Stanislai nobile famæ
Debuit Augusto sole, dieq; vehi.

XVII *in Idem.*

Ut digna exciperet venientem fronte puellum
Induit Augusti nobile nomen humus.

Natô Filiô Stanislaô Parentes, perpetua se Castitatis lege obstrinxerunt Idem ibid.

XVIII.

Uno contentum sub sole nitere Paternum
Cælum; cur aliud quæreret axe jubar?

XIX. *in Idem.*

Uno concepto Cæli de semine partu
Innocuos claudit Concha pudica sinus.

XX. *in Idem.*

Cum semel attigerint votorum spicula, metam,
Quid juvat urgenti mittere tela manu?

E molli strato desiliens, in nuda terra, aut palearum stramentis cubat. Idem ibid.

XXI.

Ardebat Sancto superûm Stanislae calore;
Commoda materies ignibus ista fuit.

XXII. *in Idem.*

In stramenta, cubans, palearum, pusio pergis;
Granum electorum conderis in palea.

XXIII. *in Idem.*

Succinum es, effetæ fudit quod lachryma Matris
Non miror, paleas quod speciosus ames.

Ultra annos Maturitatem præferens, nec jocari, nec risisse effusiùs, unquam notatus. Idem ibid.

XXIV.

Crine puer, jam more senes referebat adultos

Narcissus gremio, sed serione Cato
Quid non maturum? minus aut retulisset adultum?
E sene Matre satus, decrepitoque Patre.

XXV. in Idem.

Non illi placuêre joci non basia risus,
Serius in superûm semper amore fuit.

XXVI. in Idem.

Magdalena quem Bogna sacram (a) devovit ad aram,
Fletus huic potiùs quàm placuêre joci.

Gnesnæ operam dans Studiis, à militibus in balneo per nudos humeros fustibus indigniùs exceptus in campum vicinum egressus, cùm à Deo veniam ijs exposceret; Numen vindex, milites, eorumq; stirpem, tibiarum gravi ulcere perculit, & campum illum, in quo Sanctus oravit, diuturna sterilitate damnavit.
Idem ibid.

XXVII.

Durius à bardo percussus milite, fuste;
Verbera non dextrâ, verba sed ore refers.
Verba refers, quæ læsa flagris patientia ferret
Obiiceretq; minis hostis, amænus amor.
Cur tamen in campum prodis quasi Martis arenam?
Et quasi ad, instructâ bella gerenda manu?
Quas læsa sub mente exciverat impetus iras
In campo victor Dive, domare voles.

XXVIII. in Idem.

Læsus amas, Nemesim vindex nec ducis ab astris
Vindex pœna tamen plectit & ira caput.
Sumere vindictam meliùs qui pergis ab hoste;
Parcas; qui parcit vindicat iste magis.

(a) Vix natus delatus & oblatus fuit ad aram S. Magdalenæ.

XXIX. *in Idem.*

Fæcundas ubi labra preces super astra relegant
Infæcunda solum funere, Fata premunt.
Quo fervore Deo supplex Stanslae calebas
Nosco, cum aruerit te calefactus ager.

XXX. *in Idem.*

Orator Cæli, ambieras quam poplite miti
Debuit hâud, simplex scindere arator humum.

Locus prædictus appellatus Mons Sacerdotalis. Id.

XXXI.

In summos se firma vehis patientia montes
Quidquid ubi pateris pusio summa tenes.
Jn montem curris laceratus militis ictu;
Excelsâ, cæsus rupe (a) sub astra cadis.

XXXII. *in Idem.*

Affectus ægris, oras vicinior astris;
Scandenti superos optima scala, Cruces.

Quo tempore Boleslaus trucidaturus erat S. Stanislaum, Dominicâ Palmarum circa horam sextam, serenô Cælô stella apparuit. Zahn in Æconomia mundi mirabili.

XXXIII.

Dive cave, Regem fugias pie Præsul avarum
Jn cædem, Cæli Te Sacra lingua monet.

XXXIV. *in Idem.*

Perge animose Pater pro Numine fundere vitam
Crudeli vitam perdere, perge manu
Palmarum sub luce nitens jubar axe corusco
Te dignum palma Martyre, luce notas.

XXXV.

(a) Cæsus in rupe ad Cracoviam.

XXXV. *in Idem.*

Desine Regali gremio nutrire Tyrannum
Sævior in solio Regis honore latro.
Ad Christum duxit quæ Reges stella colendum
A cæde abducit Te; radiosa Patris.

XXXVI. *in Idem.*

Hæsit fixa inter volitantia sidera stella;
Prævisum obstupuit pallida, grande nefas.

XXXVII. *in Idem.*

Jam prope Phæbe cades, mortis Stanslae sub umbras,
Hinc comitans solis funera, stella patet.

XXXVIII. *in Idem.*

Tristis post cædem Lechico nox ingruit orbi
Incipiunt stellæ jam radiare Polo.

XXXIX *in Idem*

Antistes, timeas gelidæ ne, funera noctis;
Hæc aurora diem provehit ore tibi.

XL. *in Idem.*

Vesanô rex prave labiô sacra gesta lacesse;
Aditat, quæ celebret lingua superna Patrem.

Milites in Divum immissi, ter assilientes, ter retro acti procidunt. Lubiński in vitis Episc. Ploc & Długosz Tom: 1. hist: Polonæ Lib. 3.

XLI.

Trinus ut assultus perfectus clade fuisset
In caput; Atrei ter saliere truces.
Sed ter corruerant meliori robore pulsi;
Allisi, Templi. vi graviore, solo.
Hêu effrons augere nefas desistite; casus
Hunc melius Patrem vos coluisse docet.

XLII. *in Idem.*

Quin monet, in cinere, ut contrito corde dolentes
Pro scelere, affusi pæniteatis humo.

XLIII. *in Idem*

Vesano nimis, ut non persistatis in ausu;
Deiiciens pedibus vos, monet axe Deus.

XLIV. *In Idem.*

Parcite vittatum audaces invadere Patrem
Ni turpi placeat cedere tristè fugâ.
Bubones vos culpa probat; sol Præses; in umbras
A claro cæcus sidere bubo fugit.

XLV. *in Idem*

Surgite, collapsi impietate gravante sub orcum;
Id plantæ à vobis casus, & astra petunt.

Ab ipso assiliente Rege trucidatur ad aram, non finito sacrificio, scilicet ante communionem. Chelstowski.

XLVI.

Dive Boleslaô procumbis Rege Tyrannô;
Cædi non poteras nobiliore manu.
Nil non Augustum tibi mors. seu contulit ortus
Nil non supremum Juno, Atroposq; tulit.
Nasceris Augusto, Augustus felicius orbi;
Augustæ, cæsus concidis ense, manus.

XLVII. *In Idem*

Stanislae, Crucis quod sit via Regia, (a) firmas;
Ad quem Crux, Regis, venit amara, pede.

XLVIII. *In Idem Ænigma.*

Dicite quî fieri possit? quod Matris in alvo
Occidit Patrem Filius ipse suum.

XLIX. *Explicatio.*

Stanslaus fuerat Pater, alma Ecclesia Materq;
Filius occisor Bolesilaus erat.

L. *in Idem*

Nescio quâ fueras dextrâ Stanslae peremptus;
Hoc scio; quæ secuit dextra, sinistra fuit.

(a) Alluditur ad diverbium Th. à Kempis; de via Regia S. Crucis.

LI. *in Idem.*

Finitâ nondum tuis atro funere, missâ;
Infinitus amor, te celebrante fuit.

LII. *in Idem.*

Ne turbere, sacrum quod non impleveris; imples
Ipse cadens aris victima grata Deo.

LIII. *in Idem.*

Donec sacra foret Divini fractio panis
Irruit in Sanctum dextra cruenta caput.
Fortè verebatur ne fracto pane, patrandam
Cognosset culpam, (a) desineretve scelus.

LIV. *in Idem.*

Magnum restat iter quamvis, super astra, refectus
Non tamen ingrederis nobilore cibo.
Nec metuas, ne deficias jejunus eundo,
Non curres, superum Dive vehêre manu.

LV. *in Idem.*

Non cœnam Domini sumis non prandia missæ
Gloria cælicolûm te satiare b petit.

In Rupella, in æde D. Michaelis occiditur. Dlugosz.

LVI.

Durior & saxis, Rupellâ durior ipsâ
Rex dedisce ferum, rupe pavente scelus.
Vidit ut in cædem, tecum properare cohortem
In saxum obriguit fixa stupore necis.

LVII. *in Idem.*

Stanislae tuo Rupella gravata dolore
Cesserat in saxum funebre, tota tibi.

LVIII. *in Idem.*

Et Niobes renovat luctus, in saxa rigescens,
Istuleô lachrymas, flumina dante vado.

(a) Alluditur ad illud: Cognoverunt eum in fractione panis. b Alluditur ad Jobi verba: Satiabor cum apparuerit gloria.

LIX. *in Idem.*

Dure nimis Princeps, Stanslai in funera pergens;
Debueras rupe hac excuisse sinum.

LX *in Idem.*

Cæderis ad lancem Michaëlis, Dive; valorem
In lance explorant Numen & astra tuum.

LXI. *in Idem.*

Occumbit somno, Lechici Divinior orbis
In tota, posito vertice, rupe Jacob.

LXII. *in Idem.*

Lydius est Rupella lapis; qua à Rege probatus
Præsulis in superos est pretiosus amor.

LXIII. *in Idem.*

Crederis inde mihi verus Szczepanovius; inter;
Ut Stephanus, Rupis saxa molesta cadis.

Secatur in partes 72. Corpus Divinissimi Præsulis. Miechovita. Lib: 2. Chron. Pol. c. 20.

LXIV.

Discipulos numerasse sui quot Christus amoris,
Adlectos fertur totius Orbis opi.
In tot frusta pii lacerantur Præsulis artus
Secti, in tot partes dissiluere sinus.
Quid, nisi Zelosus Divini Orator amoris
Se toto Numen vult velut ore loqui.
Totus ut os patulus per vulnera, corpore & uno
In Patriæ plures commoda ferre viros.

LXV. *in Idem.*

Exlex hæc nimis est, o Rex divisio; non sic
Astra docent Sanctos multiplicare viros.
Totum Sarmatico Stanslaum subtrahis orbi;
Nil addis, sceleri præter inane scelus.

Partes singulæ disjiciuntur per prata à satellitibus.

Cro-

Cromerus Lib: 4 *Et singulæ, singulis sibi impendentibus lucernis coruscant.* Dlugosz Tom: 1. hist: Pol. 30.

LXVI.

Nulla fuisse lego non conscia prata furoris
Quæ non transisset luxuriante nece.
Proiiciunt prati sectum per gramina Patrem
Ut quasi flos fœni (a) gloria scissa cadat.

LXVII. *in Idem.*

Providus & post Fata Pater Stanslae. cruore
Vis condire gregi gramina tincta tuo.

LXVIII. *in Idem.*

Est nimis impropria, è propria translatio sede
Præsulis; hinc rident b prata nitore Poli.

LXIX. *in Idem:*

Sollicitum accendit Cælum quærendo, lucernas;
Perditus è vita, funere nummus erat.

LXX. *in Idem.*

Funebris à populo, Patri cum pompa deesset
Misit funereas Numen ab axe faces.

LXXI. *in Idem.*

Obcæcate malo Rex vespertilio, promptus
Pro venia ad Divum, lux vocat ista, voles.

Quatuor raræ magnitudinis aquilæ, custodiendis membris, abigendisq; volucribus advolant. Kadlubek Lib: 2. hist. Pol. & Miechovita Lib: 2. cap: 20.

LXXII.

Sarmatiæ volucres insignia prisca, parentent

(a) Alluditur ad verba 1. Petri c. 1. Gloria ejus tanquam flos fæni. b Sub translatione Metaphorica est exemplum: Prata rident.

Ut Patriæ Patri, funera sancta petunt.

LXXIII. *in Idem.*

Exauthoratum censebant crimine Regem,
Illius ceris quæ spatiantur aves.
Ergo perculsæ sceleris terrore volarunt
Ad Patriæ, celeres confugiendo Patrem.

LXXIV. *in Idem.*

Qui sacra in insanum detorsit fulmina Regem;
Esse, aquilæ magnum supposuere Jovem.

LXXV. *in Idem.*

Sarmatici, quatuor dicat de partibus, Orbis (a)
Quatuor ingentes hasce, Dlugossus aves.
E Gnesnæ nidis credo properaisse clientis
Quondam ut stipassent funera mæsta sui.

Post triduum collectæ partes, juncta illico coaluerunt. Hyacinthus Pruszcz in fortalitio Regni Poloniæ.

LXXVI.

Templum grande Dei Paulo testante fuisti,
Luce quod in trina reædificasse potes (b)

LXXVII. *in Idem.*

Partibus appositis solidos unitis in artus;
Unio sub secto corpore, grandis eras.

LXXVIII. *in Idem.*

Quam pulchro Præsul coalescis fœdere; vitæ
integritas, unquam ne tua læsa foret.

Cum digitus annularis deesset, lux impendens pisci devoratum ab eodem sacrum pignus demonstravit.

Cui

(a) Gnesnæ studuit b Alluditur ad verba Pauli: Templum Dei vos estis. & ad verba Christi solvite Templum hoc, & in triduo reædificabo illud.

Cui capto exemptus, corpori applicatus, ilicèt accrevit. Idem ibid.

LXXIX.

Invadiata malis, huc mæsta Polonia curre;
Quem solvas, rutilat piscis in ore, statet.

LXXX. *in Idem.*

Parte tui, undivago piscîs, tumularis in ore
Te Jonam Lechia, Stanesilae canam.
Hoc discrimen erit, Jona pereunte quievit;
Te pereunte, Lechum magna procella manet. (a)

LXXXI. *in Idem.*

Applaudente nitet digitus cum luce sub undis
In gerulo Solem pisce stetisse puto. *Sol in piscibus.*

LXXXII. *in Idem.*

Ussisti Sanctis Divinior ignibus orbem;
In tristes Phaëton corruis actus aquas.

LXXXIII. *in Idem.*

Hêu crudele nefas! hêu crimen dirius Orcô
In proprium, dextram cæde movere Patrem,
Ne spem mitte tamen Rex, labem ut deleat istam
Stanslaus, digitum jam madefecit aquis.

LXXXIV. *in Idem.*

Conflagras iusti Princeps mæroris ab æstu.
Ureris in trepido corde, pavore Stygis.
Ut velut ærumnosi Epulonis recreet ora;
Est promptus tincto pollice Præsul aquâ.

LXXXV. *in Idem.*

O monstrum! toto nimium super orbe stupendum!
Piscatorem orbis, piscis in ora capit.

LXXXVI. *in Idem.*

Inter aquas, digito Præsul cur funera quæris?

(a) Reuelatum fuit post eam cædem piis personis, Regnum scindendum. Cromerus Lib. 4.

Debentur sacro lipsana sancta loco.
Interdicta prior, tantum comitantia Crimen
Observas; sacrâ non tumulandus humo.

A cæde S. Stanislai, corona Regalis Poloniæ erepta, quæ post cædem S. Adalberti, ab Ottone Imperatore, tumulum ejus invisente, collata fuerat. August: Kołudzki in throno Patrio.

LXXXVII.

Perdideras capitale decus cum Præsule Leche;
Perdideras sana cum ratione caput.
Prima tuæ periit, periit frons maxima famæ;
Si caput ergo deest, quo diadema geres?

LXXXVIII. *in Idem.*

Induerat patulum Rex impietate Latronem;
Ergo decus Regis nec diadema ferat.

Per omne tempus cruentissimi prælii ad Grunevaldum, inter Jagellonem Poloniæ Regem & Crucigeros, conspiciebatur in aëre D. Stanislaus, hostibus terrorem incutiens, Polonis animum addens. Paucique tunc de nobilioribus Polonis cecidere. Christoph. Varszevicius in Paralellis. Herburt Lib: 13. hist: Pol. c. 5. Cromerus Lib: 16.

LXXXIX.

O! cui jurati veniunt ad classica Divi,
Sarmatici splendor, magne Jagello, throni.
Perge bonis avibus, Lechicis Aquilisq; domare
Infensos Corvos, Accipitresq; truces.
Succumbent Prussi, contra quos fortior adstat,
Armis (a) Prussi, Præsul cinctus, & ore minax.

XC.

a S. Stanislaus Stemma Paternum habet; Prussi id est Crucē totā & mediam. Apud Polonos autem stemmata, dicuntur Arma.

XC. *in Idem.*

Sub Cruce Stanslai lætus Rex bella capesse;
Hac Constantinus sub Cruce victor eris.

XCI. *in Idem.*

Hâud vinces Cruciger cuneos vesane Polonos;
Cùm certat cruciger fortior iste manu.

XCII *in Idem.*

Sub Cruce Patroni prostratus, veriùs hostis
Omnis erit Crucifer, nam feret inde Crucem.

XCIII. *in Idem.*

Dimidiam fert stemma Crucem cur præsidis? hosti
Dimidiam dederat strage nocente Crucem.

XCIV *in Idem.*

Juppiter est Præsul, Lechidûm est Jovis armiger ales;
A Sancto cruciger fulmina sæva time.

Celebritatem canonizationis D. *Stanislai, annô unô præcessit tanta in Aprili, per totam fere Poloniam, aquarum inundatio, ut campi sylvæq; navigabiles essent.* Cromerus Lib: 9 Bzovius Tom: 13.

XCV.

In Lechiam rediturus erat cum munere Præsul,
Laturus Sancti nobile nomen erat.
Lustrali velut, à scelere elueretur ut undâ;
Providus in gremium fuderat axis aquas.

XCVI. *in Idem.*

Naufraga diluvii timeo non æquora; portus
Tu Stanslae mihi, tu mihi littus eris.

XCVII. *in Idem.*

Flebilibus concussa malis spem Lechia sume,
Omina quæsitæ grandia pacis habe,
Diluvii post Fata tuus, meliora Noemus
Fædera, componet Numen & inter humum.

Anno

Anno 1252. quo S. Stanislaus in Divorum numerum relatus; salis metalla ad Bochnam inventa fuerunt. Herburt. Lib: 7. c. 8.

XCVIII.

Sal terræ fueris quod, verus Apostolus Orbis
Sarmatici; doceant fossa metalla salis.

XCIX. *in Idem.*

Stanslai; majore siti, qui ô corda, colendi
Exacuat, præbet provida terra salem.

C. *in Idem*

Condiat ad gustum, Lechidarum ut corda, Patronis
Ingeniosa salem corde, ministrat humus.

CI. *in Idem.*

Corrumparis in obsequio ne Patria Patris;
Offert terra novum quo saliare salem.

Cum S. Stanislaus SS. albo inscriberetur, Assisii in Ecclesia S. Francisci, cœlitus delapsum vexillum, quod in eadem Ecclesia Religiosè asservatur. Damalewicz, in vitis Episcop: Vladislaviensium.

CII.

Militet ut famæ tellus devota Patroni
Vexillum populis mittit ab axe Deus.

CIII *in Idem.*

Temnas missa Polo Numana Ancilia Romæ;
Hæc tibi si liceat Lechia signa sequi;
In signis mereat qui sacra stipendia tantis;
Insignis miles, Ductor & axis erit.

CIV. *in Idem.*

Currite Stanslai, Heroes sub signa Poloni
Dux Numen. Numen classica pulchra sonat.
Sancta tamen qui signa ferat vexillifer; ipso
Præsule non melior vel super astra nitet.

Audax

Audax ore, manuq; crucem volitabit in hostem
Noluit Audacis qui trepidare minas. *Boleslai.*

Mortuus adolescens sub tempus Canonizationis sancti, Templo illatus, illico supplicante D. Præsuli, Summo Pontifice, vivus surrexit Quo commotus Christi Vicarius, peractis Canonizationis ritibus, ipsemet è Cathedra S. Stanislaum publicâ Panegyrî laudavit. Herburt Lib: 7. c. 8. Bzov: Tom: 13.

CV.

Mors cupida illustres sancti spectare triumphos
Sub pueri gremio tecta beata subit.
Præsule sed vitam cernens plausisse Patrono
Protinus in Stygias invida fugit haras.

CVI. *in Idem.*

Præsulis ad plausus cum sidera læta salirent
Debuit & functus prosiluisse puer.

CVII. *in Idem.*

Surge puer, quænam Sancti Reverentia Patris ?
Purpureis Patribus Stantibus, ipse jaces ?
Audiit, erectosq; celer surrexit in artus;
Tam sancto coram Præsule, stare decet.

CVIII, *in Idem.*

Æternæ rumpas adolescens nubila noctis;
Exoritur radio sol meliore Pater.

CIX. *in Idem.*

E perimente puer consurgas funere Phænix;
Accendit cineres, sol, Pater iste, tuos,

CX. *in Idem.*

Debuerat minimè corrumpere tumba triumphos;
Cum sanctum ferret nomen in astra, tuba.

CXI. *in Idem.*

Oratore Pater laudaris Præside summo;
Non alius summum ferret in astra virum.

CXII. in Idem.

Tergeminâ in laudes veheris Stanslae coronâ;
Sufficit haud, meritis una corona tuis.

Anno 1462. Caput S. Stanslai, sanguineo sudore manavit; prænuntians despoliationem grandem Cracoviæ, totiusq; Poloniæ à Tartaris. Pruszcz in Fortalitio. & Ofiarowicz in hist: B. V. Myslenicensis *Et Temporibus Casimiri Jagellonidæ, magnam oppressionem patiente Ecclesiâ Cracoviensi, caput S Stanislai in Processione delatum, eò magis sudavit, quò magis abstergeretur.* Damalewicz in vitis Episc. Vladisl:

CXIII.

Jndoluit Patriæ, grandis sub mole doloris
Luctatus sudat; Pergrave sensit onus.

CXIV. in Idem.

Jam prope Sarmaticum fuerant mala toxica regnum
Proxima, desudans gemma, venena timet.

CXV. in Idem.

Jn sudore tui, vultus confisa Patroni
Vescêris plaudens Lechia, pane tuo.

CXVI. in Idem.

Multa tulit fecitq. tuus Stanslaus, anhelis
Quæsitam votis ut tibi ferret opem.
Nec sat sollicitô, desudat & hactenus alget, (a)
Lechia quæ referes præmia digna Patri?

CXVII. in Idem.

Ut recreent vulnus, guttas opobalsama sudant
Et vitæ sudor, fit medicina favens.

Multa

(a) Alluditur ad illum versum: Multa tulit, fecitque puer, sudavit & alsit.

Multa tulit patiens Ecclesia vulnera, sudas
Quæ vulnus recreent balsama, fronte Pater.

CXVIII. *in Idem.*

Profusas sudore fluit flens marmor in undas
Tempestas instat dum furibunda jugis.
Instabat Regno funesta procella Polono,
Desudas liquidis nobile marmor aquis.

Aqua, ex piscina, in qua natabat lumine cinctus Sancti digitus, ab ægrotis sumpta sanitatem adfert. Pruszcz in clenodiis Cracoviæ.

CXIX.

Ægros tota super, Divorum dextera (a) poni
Debueras, læva parte, fugando malum.
Ne totam Tu Magne manum Stanslae fatiges;
Ægrotis digitus si ferat unus opem.

CXX. *in Idem.*

Excoxit vitalis, aquas quas dextra Galeni
Coxit & Hippocratis quas medicata manus,
Temno libens, nostræ arrident magè flumina vitæ
Quas Patris digitus condiit unus, aquæ.

Annô unô post Translationem Divi corporis in Templum Cathedrale Arcis Cracoviensis; nocte visus est D. Præsul rem Divinam, stipatus SS. ad majus altare peragere, eo tempore campanis sua sponte sonantibus. Dlugosz vitæ S. Tract: 2. c. 3.

CXXI.

Et post Fata litas superis vittate sacerdos
Morte nec extinctus, Numinis ardet amor.
Interrupit atrox turpi quod cæde Tyrannus
Continuas, vel post Funera Dive Sacrum.

CXXII.

a Alludit ad verba Christi: Super ægros manus imponent.

CXXII. *in Idem.*

Aëra concutiunt campanæ cantibus, æra,
Ad Divos mystâ te celebrante focos.
Sancta tuo flagrans Stanslae incendia corde;
Ut currant, populos æra sonora vocant.

Vlosciborius; Cracoviensis districtûs ensifer, lumen utrumq́; cæcitate percussum, ubi annulo Episcopali D. Præsulis attrectasset, subitò aspexit. Ibid. c. 21.

CXXIII.

Cæcus, non cernit qui munera clara Patroni;
Vir cæcus mirum si videt ipse Patrem.

CXXIV. *in Idem.*

Magne Pater, nostræ te desponsasse saluti
Crederis, annulus hic fæderis augur adest.

CXXV. *in Idem.*

Non ignoro, faves precibus quam Dive tuorum;
Circulus æterni hic testis amoris erit.

B. STANISLAUS CASIMIRITANUS,
Canonicus Regularis S. Augustini.

Nascitur Beatus in Festo Translationis S. Stanislai. Christophorus Loniewski in vita ejus.

CXXVI

STanslao Patri Stanslae simillima proles
Et Casimirii gloria prima sinus.
Quam bene, Patroni cum agitet Translatio Festum
Nasceris in terras prodite fau te puer.

Ja

In Te Præsulea fuit hæc Translatio vitæ;
In Te, Stanslai transtulit acta polus.

Sacerdotes, Dominos suos vocat. Pruszcz in Fortalitio.

CXXVII.

Quam bene Præsbyteros, Dominos Stanslae canebas;
Grandes ætheræ sunt ditionis heri.

CXXVIII. *in Idem.*

Dixeris & Reges cum servos Numinis, (a) ambis
Quorum sacratum vasa corona caput.

Meditationum æstimator exclamabat: non clamor sed amor pulsat in aure Dei. Idem Ibid.

CXXIX.

Quæ sit Vita tibi, viresq; hoc indice pulsu b
Arte licet facili noscere: Sanctus eras.

CXXX. *in Idem.*

O! castis obstricte metris & mente Pöeta
Astris & vincto Stanesilae Deo;
Hos tantûm nossent si vates fingere versus;
Perversus nullus corde furente foret.

CXXXI. *in Idem.*

In verbo lusum jactent non Rhetores, omni
Æterno in verbo lusus c hic arte places.

CXXXII. *in Idem.*

Mortuus es mundo, resonant nec turribus æra
Functo; castus amor pulsat in aure Dei.

CXXXIII. *in Idem.*

Labra licèt taceant, cor est vocale silendo;
Est vocalis amor, rumpit & astra tacens.

CXXXIV. *in Idem.*

Calleo, quanta tui sis confidentia amoris.
Non I vas facili pulsat at aure Dei.

CXXXV.

a Servire Deo regnare. b Salus è pulsu cognoscitur.
c Clamor amor lusus in verbo.

Lavandis Fratrum aut hospitum pedibus, assiduò expetit assignari. Stephanus Ranotowicz in vita cap: 4.

CXXXV.

Ad plantas humilis Te volvis Dive lavandas,
Mundando addicis membra beata pedi.
Te, spreto pergis sanctè Crucifigere mundo,
Aggrederis Christi (a) more lavare pedes.

CXXXVI. *in Idem.*

Providus es Stanslae tuis progressibus; ambis,
In virtute quibus progrediare, pedes.

Verbis læsus & calumniis percussus tacet, silentii cultor. Idem c. 9.

CXXXVII.

Lingua licèt te sæva petit, licèt ora lacessunt,
Liventes sannis percutiunq, taces.
Excoctum es Sanctis, fervoris in ignibus aurum;
Percussum quamvis verbere, mirè silens.

CXXXVIII. *in Idem.*

Et strepitu & clamore vacas taciturnus in æde,
Citra murmur, apis pectore mella paras.

Exhorrescenti judicia Dei, apparet Christus 5. vulneribus insignitus cum Beatissima & SS. dicens: Surge & festina Fili mi Stanislae, hodie enim mecum eris in Paradiso. Loniewski.

CXXXIX.

Ut pius ad superos Latro Stanslae uocaris;
Namq, tui melior latro b peremptor eras.

CXL.

a Christus ante passionem & Crucifixionem, lavit pedes Discipulis. b Magnis jejùniis & mortificationibus vires & vitam sibi ademit. In vita.

CXL. *in Idem.*

Te vitæ Libro inſcripſit qui, Dive characteſ
Noſcere vis? Chriſti vulnera quinque leges
Non atrô tua facta ſty ô perarata; rubricâ
Sanguineâ, reliquis quod potiora nitent.

Nuda in terra, capiti ſuppoſito lapide, ſomnum fallebat. Bzovius Annal. Eccleſ. Tom. 18.

CXLI.

Semper ut in ſolido pia mens fundamine conſtet
Suffulcit ſtabili tempora fixa jugo.

CXLII. *in Idem.*

Lubrica ne turbent ſopitam ſomnia mentem
In ſolido poſitum monte quieſce caput.

CXLIII. *in Idem.*

Imò obiere tuo jam Cypria ſomnia ſenſu;
Condita quo ſquallent funebris ecce lapis.

CXLIV. *in Idem.*

Jeſſiades veluti, quo noctis monſtra retundas;
Aithacus ſtipat membra quieta lapis.

In die Inventionis S. Crucis moritur Pruſzcz: *Illa verba proferendo: In manus Tuas commendo Spiritum meum.* Samuel Nakielſki in Miech:

CXLV.

Ad portum felix remees ut ab æquore mundi
Providere Crucis Chriſtus & aſtra ratem.
Anchora ſpes, velum ſacer ordinis inflat amictus;
Tu virtute bonus, Tu tibi malus eris.

CXLVI. *in Idem.*

Pro meritis diadema tuis ſuper axe ferendum
Ne careat, profert viſcere terra, Crucem.

CXLVII. *in Idem.*

Curſibus optatam tanges trans ſidera metam.
Nunc inventa tibi Crux benedicit iter.

CXLVIII. *in Idem.*

In Chriſti Stanslae manus, quaſi munus amænumq;
Angelico mentem fundis ab ore tuàm.
Accipe delicium Divinis nobile dextris
Eſt Roſa Purpurei picta pudore ſinûs.
Accipe ſub Sanctas, victorum maxime, palmasq;
Palma eſt, de mundo mille trophæa notat,

B. STANISLAUS KOKOSZKA Ordinis Sancti Dominici.

Supra caput orantis ante Crucifixum, Fratres rotam igneam conſpiciebant. Hyacinthus Pruſzcz in Clenodiis Cracov:

CXLIX.

Cùm Divina tuis reſonabat gloria labris
Et ſe proveheret ſancta per ora, ſinu.
Aſpexere rotam Fratres incumbere Fronti;
A curru Divæ gloriæ adempta fuit.

CL. *in Idem:*

Invida Stanslao, ſuperis Fortuna loquenti
Turbare áttentum nititur arte caput.
Diſtrahat ut ſenſus, mentemq; ut diſtrahat aſtu
Advolvit propriam more jocante rotam.
Aſt eluſa, foret quæ ſons diſtractio menti,
Pervigili Fronti clara corona fuit.

CLI. *in Idem.*

Natalem inflammare rotam non ſola Jacobo
Cenſenti, fateor lingua proterva poteſt,

Sancta

Sancta Stanislai cùm lingua perorat ad axem,
Accendit calidi pectoris igne rotam.

Cum oraret in dormitorio coram effigie Beatissimæ non satis decenter ornatus, absq; Religioso habitu, correptus fuit & admonitus ab Angelo, ut coram B. V. comptior appareret. Bzovius in propagine S. Hyacinthi c. 5.

CLII.

Gratior & superis compto de corpore virtus
Quod fuerit, monitus Stanesilae probas.

CLIII. *in Idem.*

Dicite Divinæ famulantia pectora Matri;
Hac habitus constans in pietate placet.

Anima è Purgatorio, ad postulatum Beati, guttâ sudoris ignei eundem aspergens, planè exanimem præ dolore reliquit. Idem.

CLIV.

Nec modicam si ferre potes præ corpore guttam?
His aptus non es cladibus, astra petes;

CLV. *in Idem.*

Hêu mihi si tantos levis infert gutta dolores;
Ignea quid faciet totius unda maris?

Corpus è tumulo sublevatum à Thoma Oborski Suffraganeo Cracov. effudit odorem per Templum & curritoria. Hyacinthus Pruszcz in Fortalitio.

CLVI.

Ossa levata fragrant jucundi floris odore
Elysias superant & novitate rosas.
His meliora pius nutrivit lilia candor;
Fragrarunt castæ Virginitate rosæ.

CLVII. *in Idem.*
Sanandis reprobis stillabas balsama corde
Vivus, grata Pater balsama functus oles.
CLVIII. *in Idem,*
Non crimen mortale tuis computruit ulnis
Fætens ergo sinu nil redolere potes.

B. STANISLAUS
Ordinis Sancti Francisci.

Cum 12 Sociis à Tartaris Zavichvostiæ die Oblationis Christi, sub tempus devotionis & Religiosi cantus obtruncatur. Opatovius in vita S. Salomeæ
CLIX.
Mors tibi plausus erat, domitô cum corpore mundô;
Mors, festus, cæso si tibi, cantus erat.
CLX. *in Idem.*
Tristia præcedit vestrûm lugubria cantus
Quisq; canens, niveus, funus inivit, olor.
CLXI. *in Idem.*
Non incantabit rabidi vos Funeris horror
O Sancti! cantu si pia labra sonant.
CLXII. *in Idem.*
Cum Scythicos enses secta cervice tulistis
Ensiferos Cæli vos, sacra Regna colent.
Cum Scythicos enses Victor cervice tulisti; *Vel*
Ensiferi, Cæli munus, habere potes.
CLXIII. *in Idem.*
E tristi, mortis victores surgite somno
Æternam peperit Luna Gelona diem.
CLXIV. *in Idem.*
Felices nimium, quibus atro funere noctis,
Justitiæ solem barbara Luna parit.

B. STANISLAUS

Ordinis S. Francisci Gvardianus Leopol: *Cum Fratribus, Ruthenos fide imbuens, à Scythis, Russiam vastantibus, juxta nonnullos capite plexus, juxta alios sagittis confixus. Ejus sacro honori Innocentius IV. & Honorius, diem assignarunt.* Pruszcz in Fortalitio.

CLXV.

Russorum dum corda fide, dum pectora Christo
Erudiunt, Scythica sub feritate cadunt.
Quod docuere genu venerari supplice Numen;
Exemplô ut præeant, fronte cadente colunt.

CLXVI. *in Idem.*

Dum resonat Divina Fides per labra Ruthenûm;
Spiritus exultans, ore sub astra salit.

CLXVII. *in Idem.*

In meta positos Scythicis ad Fata sarissis
Divinus Sancta cuspide fixit amor.

CLXVIII. *in Idem.*

Quem super Ausonia concessit Honorius urbes;
Pontificis fuerat nomine, dignus honos.

CLXIX. *in Idem.*

Patrum fræna gerens, Geticis es meta sagittis;
Sed petit & superûm te pharetratus amor.

Ven: STANISLAUS Posnaniensis;

Carmelita; Concionator zelosissimus adversùs hæreticos; à quibus in odium Prædicatæ fidei, gladiis confixus in Prussia. Martinus Baronius Clericus Jaroslaviensis.

CLXX.

Saxea crudelis, mollit dum corda furoris
Et flectit rigidos supra adamanta sinus.
Proficerent cum verba nihil, molliret ut artus
Effudit riguum fonte rubente vadum.
Agnus erat miti sub pectore, vocibus agnus;
Agninus mollit durum adamanta cruor.

CLXXI. *in Idem.*

Ferrea cum traheres ad Christum pectora magnes
Traxisti in propriam ferrea tela necem.

Ven: STANISLAUS
Ordinis S. Pauli Eremitæ.

Ecclesiastes ferventissimus, singularis Beatissimæ cultor, Virginitatis illibatæ, jacet hactenus incorruptus Oporovii Pruszcz in Fortalitio ex M. S. Conventus Częstochoviensis.

CLXXII.

Incorrupte jaces, Pauli Stanislae sodalis
Non habet in corpus jus, nigra terra tuum.
Siccavit totum Divi te flamma caloris;
Qui putre-te faciat partibus humor abest.

CLXXIII *in Idem.*

In cineres abeunt minimè pia membra; flagrabat
Corpore nam nunquam Cypria flamma tuo.

CLXXIV. *in Idem.*

Sub Stygio qua parte vado demersus Achilles,
Corrumpi nullo vulnere dignus erat.
Integra membra mari mersisti Dive Mariæ;
Corrumpen: totum funera nulla sinum.

Ven: STANISLAUS Ord: Cartusianorum singularis cultor Passionis Christi & B. V. à teneris ad ultimum agonem, illibatum Virginitatis florem aluit. Idem.

CLXXV. *in Idem.*

Nullo Virgineæ putruerunt crimine fibræ
Sorduerat nullâ, nobile, labe latus
Idalium ne membra ſcelus corrumperet; arcens
Putorem, Chriſti Paſſio Myrrha fuit.

CLXXVI. *in Idem.*

Non Veneris mortale nefas, tibi prægravat artus
Vivaci nullum corde cadaver alis.
Nec poteras functus, Divæ ſervire Parenti;
Hoc nequeunt ferri corpora functa mari.

Ven: STANISLAUS Lithvanus, Ordinis S. Baſilii cum reliquis Sociis ob Fidei propagationem, Verbiq; Dei prædicationem à Scythis occiſus. Requieſcit Vilnæ in æde S. Trinitatis, miraculis clarus. Mart: Baronius.

CLXXVII.

Spargeret æternam, verbi dum ſemine, vitam
Stanslaus, cujus vivere Numen erat.
A Scythica ruit ille manu. Quod vivat in Aſtris
Numen, ſumma, Patris mors, documenta dabit.

CLXXVIII. *in Idem.*

Exuvias Triadi cedis Stanslae ſepultus;
Hoc Divina petit pignus habere Trias.
Tres latuere tuo Charites ſub corpore, Trinis
Perſonis fertur pignore, trina Charis.

CLXXIX; *in Idem.*

Prodigiis, Stanslae latens poſt funera, clares;
Stipat nocturnum funus amæna dies.

STANISLAUS Pomaſki Nobilis Polonus, celebranti Fratri ſuo inſerviens Moſcuæ in Metropoli Moſchoviæ, à Conjuratis Schiſmaticis ad aram unà cum Fratre cæditur. Mart. Baronius in ſuo opere Romæ approbato.

CLXXX.

CLXXX.

Primus [a] dum celebrat petitur Stanslaus ad aram;
Dum servit, dira morte secundus obit.
Vota, Stanislaos, Divis si diligit Ara;
Non est Stanslai dignior Arrha Deo.

CLXXXI, in Idem.

Mundani nova gemma maris, terræq; monile
Lechica Nobilitas, orbis & axis amor.
Cum devota cadas ad Sanctas Numinis aras;
Non est nobilior victima, corde tuo.

CLXXXII. in Idem.

Cum Polluce Polo deturbes Castora Numen;
Nobile par Fratrum, sidera bina struent.

STANISLAUS HOSIUS S. R. E. Cardinalis, Episcopus Varmiensis.

Cum adhuc per ætatem gradiendo non valeret, serpendo ad Magistrum Artium liberalium properabat; ut quantum posset, disceret. Rescius in vita Lib: 1. c. 3.

CLXXXIII.

Hosius innocuâ gressus deligere plantâ
Par nondum, nondum par, celerare viam,
Et manibus, pedibusq; gradum satagentibus urget,
Adjuvat ulna pedem, planta manumq; juvat.
Palladis in sensum it b. manibus pedibusq; puellus
Assensus studiis, perspice, quantus erat.

CLXXXIV. in Idem:

Quanta sit ad studium teneræ inclinatio proli
Ut probet, inclinat nobile pectus humo.

CXXXV.

(a) S. Stanislaus Episc. Crac. ad aram sacris dans operam, cæditur b Ebrali Romana, assensus vehemens exprimebatur: Manibus pedibusq; in sententiam re-

CLXXXV. *in Idem.*

Sic acclinato qui pollice ludit arenâ
Palladiâ, nullum ludet amicus honor,

Feriam sextam adhuc infans, summâ abstinentiâ transigebat, & nutricem repellebat. Ibid.

CLXXXVI.

Qua sub luce, sitim passum venerabile Numen;
Non pateris liquida pascere labra nive.
Quo recrees calidos flagrantis Numinis æstus
Exhaurire negas pusio sancte Scyphum.
Crede mihi, arelescente sitim qui nutrit in ore
Numinis extinxit sanctius ille sitim.

CLXXXVII. *in Idem.*

Non patitur refici puerili pusio lacte;
Jam bene maturus pectore crevit amor.

CLXXXVIII. *in Idem.*

Abstinet obiecto nutricis ab ubere; Christi
Forte sitibundus vulnera suxit amor.

Fabianum Nobilem Pruthenum invisens febri laborantem, viso sub pulvinari libro hæretico, dixit illum, febrim suam esse, exnunc abscessuram, ubi liber flammis mandaretur. Paruit consilio adolescens, & eo ipso tempore ab æstibus liber exstitit. Idem c. 5 & Pruszcz in Fortalitio.

CLXXXIX.

Legerat hæretico squallens errore volumen
Nobilis, infecti captus amore libri.
Et vix præpropero pervasit lumine virus
Invasit pavidas febris adusta fibras.
Nec mirum; tacto quis non ardescit ab igne?
Urit Tænarii proxima flamma foci.

CXC. *in Idem.*

In meritum coniecta rogum vix charta flagravit
Extinctus gremio, febris & ipse rogus.
Conceptæ fuerant, mala pagina, pabula flammæ;
Flammæ si desunt pabula, flamma cadit.

Libros hæreticos undequaq; conquisitos, igni mandabat adhuc puer; aliisq; ut id facerent, incitamento fiebat. Pruszcz ibidem.

CXCI.

Omnibus ut clarè pateant mala dogmata; ab umbris
Ad lucem ducit providus illa puer.

CXCII. *in Idem.*

Multum Hosio debes Calvine, Luthereq́, vestrum
Publica opus donat luce, nitente rogo.

CXCIII. *in Idem.*

Grande sacramentum Divis furantur ab aris
Qui Duce Calvino, sacrilega arte Libri.
Immaturus adhuc, bene, dignos vindice flamma
Censes, sacrilegos & comitante rogo.

CXCIV. *in Idem.*

Nominis hæretici victrix Ecclesia plaude
Pestiferi domitrix plaude corusca doli.
Reddat ut illustres flamma plaudente triumphos
Instruit hac festas Hosius arte pyras.

Cracoviæ & Patavii studiis dans operam, duas ibi tantùm vias noverat, ad Ecclesiam unam, ad Gymnasium alteram. Rescius in vita Lib: I.

CXCV.

Palladios subiit tenero dum poplite calles
Credidit & doctæ tempora casta Deæ.
Numinis æthereas quæ recto ducit in ædes
Tramite, & Aonii sub penetrale laris;
Has solùm trivisse vias bene pusio novit,

Bina Stanislao semita nota fuit.
In bivio positus, bivio sed faustus utroq;
Assecla Musarum non trivialis erat.

CXCVI *in Idem.*

Qui mandatorum, Divinæ legis & ambis
Securo passu lætus inire viam.
Hoc binum gradiatur iter, gradietur in astra
Lactea quam fuerit, nobiliore viâ.

CXCVII *in Idem.*

Semita bina tibi si pusio sola placebat
Te via sub superos tertia certa manet.

CXCVIII. *in Idem.*

Discite devotæ, generosæ Palladi mentes
Discite, chara quibus Diva Minerva Parens.
Semita ut in Phæbi sit vobis tecta, secunda,
Jungite huic primam sub sacra templa viam.

CXCIX. *in Idem.*

Tam paucas Stanislae vias cum nosse probaris,
Longe plura aliis te sapuisse scio.

Jam Cardinalis, pueros nobiles quos alebat, in memoriam 5. vulnerum Christi, in singulas Ferias sextas Virgis voluit cædi, ad frangendam ætatis intemperantiam, & ad compunctionem excitandam, ait Rescius Lib. 1. c 15.

CC.

Serpit per rubeos sanguis dum Numinis artus
Et sudant rosea tabe fluente sinus.
Exprimit è niveis puerûm per verbera venis
Sanguineum Præsul fonte rubente vadum.
Purpurei proprio de sanguine Regis ephebos
Murice, de propria tabe, rubere decet.

CCI. *in Idem.*

Discite non frangi virgiæ sub verbere prolem
Fertilis in Laudem nux erit icta velus.

Aurea progenies ut Patris pectore vultus
Exhibeat, formam plaga cruenta dabit.
Ut lætum post bella sonet pæana triumphans
Pollice percrebro concutienda fides,
Provehat in portum puppes ut mobilis unda
Remorum quatitur non remorante flagro,
Ad famæ messem Patrios spargenda sub agros
Est benè de culmis excutienda seges.

Contendentibus impetrare pro Polonia dispensatione à Jejuniis reposuit: Facilius conservatur pax in Jejunio, quam in carnibus & vino. Resčius L. 2. cap. 11.

CCII.

Non jejuna viris tuleras pie dogmata Præsul
Jejuno quamvis ore locutus eras.
Jejuno melius nutriri tempore Pacem
Asseris, & blandæ fœdera Pacis ali.
Et bene, jejunæ tingunt quâ pabula gentes
Symbolon æternæ pacis Oliva fuit.

CCIII. *in Idem.*

Brutorum cum carne negas convivere pacem
Promptior est bellis, dissidiisq; caro.
Piscibus hâud legi, legi fumasse Gradivi
Cum votis populi, carne flagrante focos.

Romæ in Basilica S. Petri Vaticana, nummos aureos singulis pauperibus in ipsa aurora, ne proderetur, distribuebat. Idem Rescius L. 3. c. 1.

CCIV.

Cur solem Stanslae fugis? caligine noctis
Conditus, in patula luce stupenda, geris?
Non eget à Phæbo concesso clara nitore
Virtus ipsa tibi Phæbus & ipsa jubar.

CCV. *in Idem.*

Aurora ridente licet, prænosse serenam
Sideris auspicio non titubante diem.
Prima tibi sparso si aurora renidet ab auro
Auguror aurea te lustra diurna manent.

CCVI. *in Idem.*

Matutina Deum laudarunt sidera quondam,
Primo laudarunt astra corusca die.
Prima tuas aurora manus laudabit, inauras
In miseros fulva, quam pietate, Pater.

Pileolus Hosii, capiti furibundi hominis impositus, vim mali propulsavit. Idem Lib: 3. c. 16.

CCVII.

Libertatis erant documentum pilea, totis
A servûm crebrò plebe compta bonis.
Pileus hic pretio majori & amore petatur
Tutiùs insanô liberat iste ma ô.

CCVIII. *in Idem.*

Si caput hæreticos domuit ratione furores
Pressit & effrontes frons generosa dolos.
Pileus arte potest leviore fugare furorem
Quem non turpe scelus, vis sed amara tulit.

P. Stanislaus Varsevicius è senatorio sanguine Soc: JESU. spreto collato sibi à Rege Episcopatu, ad Tyrocinium S. J. Romam properavit, in quo habuit Connovitium B. Kostkam Nadasi in anno dierū.

CCIX.

Augusti Stanslae lepos jucundus & aulæ
Sarmaticæ, Lechici Regis & unus amor;
Siccine vittatos profugus contemnis honores?
Et mage præ vitta, vita modesta placet?
Oblatos calcas plantâ fugiente favores
Sub pedibusq; gemit, vota Tiara comis?

Fortè

Fortè locus præ fronte deest, spatiumq́, coronis;
Implevere tuum sidera vasta caput.

CCX. *in Idem.*

Implent astra caput cingunt plantasq́, tiaræ
Nulla coronato pars tibi honore vacat.
Et meritò totum frænant diademata, toto
Stanislae tui, corpore victor eras.

Nocte qua B. Stanislaus Kostka obiit, semisomni Varsevicio dictum: Stanislaum jam esse in Cælo; & mane Stanislao mors Beati nunciata est Idē, & Tanner in Soc: Jesu Apostolorum imitatrice.

CCXI.

Vix Tyro sanctus superas migravit in aulas
Vix tenuit metam mens super astra suam.
Vix Phæbus Lechiæ, summo stetit ortus olympo
Risit & exortum fronte placente jubar.
Te primo splendore ferit, radiisq́, revisit,
Altus provectæ mons pietatis eras.

Concionatus tria aliquando, aliquando 4. Auditorum millia numerabat. P. Tanner.

CCXII.

Pro superis cum verba facis Stanslae Deoq́,
Pendent à labiis millia plena tuis.
Pectora nam comitis populi si pauca fuissent
Vasti non caperent maxima Vota sinus.

CCXIII. *in Idem.*

Divinam cum voce fidem fideiq́, voluptam
Tendis per populi pectora, plectra velut.
Millenæ, Sonitû, turmæ novitate trahuntur
Threiiciâ veluti plauderet aura chely.
Ore trahis blando vel saxea pectora, sanctus
Orpheus es, supplet barbitha sancta fides,

CCXIV.

CCXIV. *in Idem.*

De vitiis victor facundâ voce triumphas
 Augeat ut pompam, turba gregata præit.

In Svecia annis aliquot Sigismundum Poloniæ Regem adhuc tenerum Christianâ pietate & moribus imbuit. Tanner.

CCXV.

Angelicâ solem flecti per sidera dextrâ
 Excultum ingeniis credere dogma iubet.
Regnorum soles si Reges censeat Orbis,
 Angelus es, solem qui pietate moves.

CCXVI. *in Idem.*

Quas maculas Lechiæ impietas Audacis (a) inussit
 Præsuleâ nimium flagitiosa nece.
Sismundi pietas generosis eluet actis
 Et virtus capiet, criminis alta thronum.
Discere Stanslao quod noluit ille Magistro
 Hic Stanislao præcipiente studet.
Dissimiles vitâ similes nec sorte futuri
 Impius ille ultor, cultor at iste pius.

Vitâ functus apparuit P. Petro Skarga, & non unum (ut Petrus faciebat) sed 10. Annos vitæ, ut à Deo peteret, Author fuit Nadasi & Tanner.

CCXVII

Skarga Petrus moritur, pietas quo Patria vixit
 Secta suis vivo quô, impia secta dolis.
Patrandi desideriô pro numine plura
 Captus, tercentos expetit axe dies.
Expetit axe dies tercentos, expetit annum
 Sæcula quô gestis impleat ampla suis.
Parva petis virmagne, ausus majora merentur,
 Et majora peti largus Olympus avet.
Nuncius addictis Stanslaus missus ab astris

Svadeas

(a) Boleslai occisoris, S. Stanslai.

Svadet ab axe decem tempora plena peti.
Dardaniis (a) majora manent te prælia Petre;
Iusumenda quibus fortia lustra decem.

CCXVIII.

Sidera cùm decadem tibi consient grandibus annis;
Tota corona tuis crescet in axe comis.

CCIX. in Idem.

Non solùm es Stanislae salus anagrammate, natis;
Est & functis Te Patre vita Parens.

P. STANISLAUS *Woisza S. J. Natus deformis, membris male d g stis; & sine cranio; B. Stanislao in Templo oblatus, & formam & cranium recepit.* Tanner in Societate JESU militante. & P. Nadasi in anno dier: mem. S. J.

CCXX.

Deformas Patris lachrymantia planctibus ora
Deformis nimium Stanesla: satus.
Forma tibi cum nulla pio rideret in armo
Martyries Matri sola doloris eras.
Distortâ cùm lege sinus cum membra vagantur,
Exlex invasit corda Paterna dolor.
Et gemitu pectus quatiunt & luctibus ædes
Et vivum funus se peperisse dolent.
Post planctus dant vota Astris, anathemata Kostcæ
Et proli ad votum, forma petita redit.
Kostkani quisquis petis argumenta favoris
In mira forma noveris illa fore.

CCXXI in Idem.

Vix genitum Woilzam stipant miracula Kostcæ
Stipat adhuc tenerum mirus ab axe favor.
Gratus ut in primo compareat unio partu;
A superis formam semen ab axe trahit.

CCXXII.

(a) Troja decennio oppugnata.

CCXXII. *in Idem.*

Crania nulla caput, velamina nulla cerebrum
Mole gravant nullâ, verticis ossa, comas.
Astrorum influxus mentem penetrabit in imam
Promptiùs, impediunt crania nulla viam.

Integritatem mentis & corporis, nullâ unquam gravi labe violavit, adeò: ut Magister Novitiorum de illo dixerit: Animam illam ab impuro dæmonio ne quidem afflatam fuisse. Tanner & Nadasi.

CCXXIII.

Pusio vixisti, mortalis criminis expers
Nescìit infando crimine vita mori.
Defunctus mundo, peccatis mortuus, uno
Peccato nescis, Stanesilae mori.
Relligiosa tibi fuerat mors vita perennis;
Vivere sub Sancta est Relligione mori.
Nil mortale tamen puros bacchatur in artus
Sola sacras recreat vita beata fibras.
Vivere quisquis amas nec calles vivere; Terræ
Disce mori, nullâ mens tibi morte cadet.

CCXXIV. *in Idem.*

Perstabas firmus; multos cùm labilis ætas
Sub cæcam premeret labe gravante stygem;
Cum ruerent a ii Cælum tu fronte petebas,
Nullâ altum, sceleris mole premente, caput.
Nil grave mens aluit, probrum non grande patravit,
Sancte, gravis quamvis vir pietate fores.
Quam Christi tibi svave jugum, leve quamq; fuisset
Calleo; nulla gravis, cum tibi culpa fuit.

CCXXV. *in Idem.*

Tempsisti dites, fortunæ, munera, gazas
Nil in Te Ditis dextera, juris habet.

Per annos plures, quot hebdomadis preces & affli-

ctiones corporis offerebat pro quodam, à quo insigni injuriâ fuerat affectus. Nadasi in anno dierum.

CCXXVI.

Cotta procelloso qui sive Vatinius ausu
Stanslao, nimium mente nocente, fuit.
Stanslaus Pyladem veluti; complexus Orestes
Vota odiis referens, ore precesq; minis.
O cæcum potius fas dicere Patris amorem!
Hostile enormi vidit in hoste nihil.

CCXXVII. *in Idem.*

Insigni veluti præventus munere, pronus
Exsolvit grates læsus ab hoste Pater.
Crede mihi, crudo toleratum vulnus ab hoste,
Prægreditur pretio munera plena Ducum.
Pulsus ab ore cruor, speciosum purpurat ostrum;
Esse aliena solet culpa, corona tibi.
Ut solêt ardenti clarescere splendor ab igne
Auro, sêu Lunæ nocte nitere jubar.

CCXXVIII. *in Idem.*

Quô magis effreni probris laceraris ab ore
Spinâ mite velut circumarante latus;
Dulcibus arrides votis, vicinior hosti
Non fugis insidias, non fugis arte minas.
Pungentes quamvis, fugiunt non Lilia spinas;
Nec sua declinant tela cruenta, rosæ.

In corporis afflictatione assiduus, nullum in se defectum passus, quem quavis nocte, aspere non expiasset. Tanner.

CCXXIX.

Fortè levis si nævus adhæsit luce diurna
Umbraq; corrupit sole micante sinum;
Expiat hanc cæcæ offusus caligine noctis
Et dicit vitio nocte regente, diem,
Pupillâ lachrymas stillat, membrisq; cruorem

Eluat

Eluat ut salso lugubre fonte malum.
Ut Phæbus traxit cineres quos luce dieis
Æquoreo mersus flumine, nocte lavat.

CCXXX. *in Idem*

Ut spolient homines veniunt de nocte Latrones
Nox effrenatis furibus una favet.
Thesaurum Sanctæ probitatis condis in ulnis
Queis fures pellas, pollice flagra geris.

Præcipuô ferebatur studio in obsequia pauperum rudium, ac infirmorum, incarceratorum, aut morte afficiendorum. Idem.

CCXXXI.

Stanslaus miseros pauperrimus inter egenos
Vir similis similes stringit amore viros.
Inter ruricolas Cælorum Civis haberi
Ambit, & in pagis axis habetur herus.
Inter pauperiem aurato ditescit amore
Nominis, & claudit pectore dives, opes.
Hæres astrorum medio sub carcere liber
Et vinctos inter victima vincta Deo.
Inter casuros Fato vivacior, inter
Morbo confractos, integritate potens.
Cur tamen abjectos vernas, majore rudesq;,
Prosequitur cultu, seu pietate sinus?
Nescierat duplici (a) colludere corde per aulas;
Simplicium gaudet simplicitate virum.

In Obsequio pestiferorum charitati immoritur.

CCXXXII.

Cum læsos vesana lues depascitur artus
Totaq; de populo millia tabe cadunt.
Vitam infectorum obsequiis impendit & auri,
Impensa, effuso munere, major erat.
Dumq; alacer Domino inservit Stanslaus amori;
Obsequii tulerat præmia, funus atrox.

(a) Duplici corde dicuntur vafri in scriptura,

Pestifero è vita cecidit carbone, furentis
Proscriptus Parcæ, Fata notante manu.
Atro ne carbone tamen censeto notandam
Qua sub peste cadis Stanesilae diem.
Quo tactus moreris fuerat non carbo, Polorum
Candidus ad Regnum calculus ille fuit.
Vel formosus erat pretio carbunculus, ornat.
Æternum capiti qui diadema tuo.

P. STANISLAUS Bronovius, stirpe nobili Rector Jaroslaviæ habuit advenā è Purgatorio Albertū Mchowski, levamen pœnarū expetentem; & illustrissimā Ducissam Jaroslaviensem, pariter è piacularibus flammis conquerentem: Pater cur promissa non exsolvis?
Nadasi in anno dierum

CCXXXIII.

Cùm clavum Stanslae moves, sociosq; Lojlæ;
E flammis animæ sub tua fræna volant.
Sub tua fræna volant solvi implorantq; catenis,
Quas hærens Nemesis cuderat, ulta nefas.
Hos ubi disrumpes devoto robore nodos,
Major, Alexandri nomine, victor eris.

CCXXXIV. *in Idem.*

Te sine, sidereos nequeunt penetrare penates;
Crederis Astrorum Janitor esse Pater.

CCXXXV. *in Idem.*

Non grave te regimen fateor Rectore fuisse,
A quo vel functi mite levamen habent.

CCXXXVI. *in Idem.*

Æterno coram Verbo impar stare Ducissa
Quod verbo haud steteris Stanesilae tuo.

CCXXXVII. *in Idem.*

Pro refrigerio subeunt te, tristè flagrantes
E flammis animæ; fons pietatis eras.

In

In odium Unionis propagatæ cæditur cum Sociis tribus; & cùm B. Kostkam invocat, unum in capite vulnus malleo, duas in gutture sagittas excipit Alegambe in mortibus Illustribus Soc: JESU Virorum.

CCXXXVIII.

Cæde Patris frustra promittitur unio, tristi
Cùm Stanislao succubitura nece.
Rumpere quam placuit; sub vestræ fulmina dextræ
Unio nascetur gemma corusca Pater.

CCXXXIX. *in Idem.*

Sed dixisse parum, Stanslaum dicere gemmam
Gemma fuit, gemmâ nobiliorq; lapis.
Hostilis, cujus quassavit malleus artus;
Est adamas pretio nobiliore potens.

CCXL. *in Idem.*

Cæderis in sylva crudeli morte Bronovi
Plantatum ut lignum dixero justus eras.
Ut lignum; Divinus amor quo exarserat altus,
Quo tibi per Cælos sancta struenda domus.

CCXLI. *in Idem.*

Pro Patre Romuleo invictus, pro numine miles
Post numerosa Polum bella peracta subit.
Stanslaum geminat facilè ut mittatur in astra;
Stanslai, superis, tessera, nomen erat.

CCXLII. *in Idem.*

Occumbis trino laceratus vulnere, grandis
Unâ non poterat, mens abiisse viâ.

CCXLIII. *in Idem.*

Ut scelus infandum, latrones cæde patrassent
Transfixo telis gutture, verba premunt!

CCXLIV. *in Idem.*

Regia Stanslai pietas intrasset ut axem

Dignitas, haud unus debuit ire Comes.

CCXLV. in Idem.

Ad Christum campana vocans Stanslae fuisti;
Cui supremam horam malleus iste sonat.

In loco occisi lumen conspectum, & Templum in quo cum sociis conditus, totum Lux mira implevit. Alegambe & Nadasi

CCXLVI.

Cereus ad nutum Superum, Stanslae fuisti,
Cereus inflecti voce jubente Patris.
Hinc cur Divorum niteas post fata per ætas?
Causa patet, Templo cerea tæda flagras.

CCXLVII. in Idem.

Pro Christo passus, cum passo Numine, vermis
Qui noctu radiat, non homo, credo fuit.
Non homo credo fuit, fuerat sed sidus in umbris
De media fulgens nocte, salubre jubar.

P. Stanislaus Domaniewski Equestri ordine Poloniæ, progenitus. Romæ conspecto nobilis Adolescentis cadavere, mundum exosus, Societatem amplexus. Nadasi in anno dierum.

CCXLVIII.

Grandis in æternam pueri cùm lumina noctem
Vergunt, & squallet funere cæsa salus;
Clara tibi multo lucis cum fœnore vita
Exoritur; tumuli parturit umbra diem.
Cùm puero Lachesis funesta venena propinat;
Tollit ei vires, dat tibi virus opem.
Sanctior esse mihi Mithridates crederis, ipsa
Cui vitam, mortis toxica mista, juvant.

CCXLIX. in Idem.

Nomine quo lector tumulandi dixeris urnam
Digna fuit titulo quo? Libytina ferox,

Cunæ tumba, fuit Lachesis Lucina, sub umbra
Qua Obstetrice salus aurea nata Patri.

CCL. *in Idem.*

Providus ad tumulum discrimina prospicis orbis,
Declinasq; Atropos cæca videre docet.

Noctu somno ter abrupto, tres horas dabat Orationi.

CCLI.

Cùm teneant tacitas nocturna silentia terras,
Cùm sileant demptô labra quiete, sonô.
In superos Divis studio majore petoras
Pro Patria Orator mente loquente, domo.
Ut vigil astricolûm sanctos fureris amores
Nocte, genu tacito Stanesilae venis.

CCLII. *in Idem.*

Orans declinat strepitus ex arte diurnos;
Ut meliore preces audiat aure Polus.

CCLIII. *in Idem.*

Tempore nocturno cùm ros destillet ab astris.
Recludis Cælo concha pudica sinum.
Uniri Christo, tenero deposcis amore;
Influet hæc patulis, unio rore fibris.

CCLIV. *in Idem.*

Est horis perfecta tribus devotio durans;
Trinum perfectum dicitur omne fore.

Corpori ferreas catenas circumdabat, loricam ferream gestabat, noctu se ter, totis viribus cædebat, ut lassus ad Christi Crucifixi pedes procumberet.

CCLV.

Non cano nectentem Neptuno vincula Xerxem
Jacta procelloso, nec cano fræna mari.
Æquor non unâ dives te, compede gemmâ
Cum frænes, Xerxes Tu mihi major eris.

CCLVI. *in Idem.*

Cùm puros vinclis artus pro Numine stringat
Obstrictum Patri, quis neget esse Deum?

CCLVII *in Idem.*

Torque catenatum ducit se Numine coram;
Vincto hoc stipatos, præ Cruce Christus ovat.

CCLVIII *in Idem.*

Vitis Christus erat, palmes Stanslaus, adulti
Fructûs procumbit pondere plenus, humi.

CCLIX. *in Idem.*

Procumbis quamvis grandi sub mole flagelli;
Non tamen ulla gravis fit tibi pæna, pati.

CCLX. *in Idem.*

Adversùs mundum, contra st-giasq; cohortes
Nocte dieq; Pater prælia dura tulit.
Multa induratâ perpessus spicula carne
Spicula, vel telis asperiora Getæ
Cum fortuna ferox adamantina pila vibraret;
Loricam induerat carne timente, sinu.

CCLXI *in Idem.*

Triturat Sanctos repetitis ictibus artus
Grana electorum clauserat altus fibris.

Acutis cuspidibus armatas manicas & pedicas manibus ac pedibus inducebat in honorem Crucifixi. Nadasi in anno.

CCLXII.

Ingeniosus erat quo Christum strinxit; acutis
Non unum manicis clausit acumen, amor.

CCLXIII. *in Idem.*

Stanslaus fugiet discrimina, credite, mundi
Promptiùs hac vinctos torque tenente pedes.

Ita Collegiis præerat ut Charitatis Rector diceretur. Idem.

CCLXIV.

Relligiosa gerens Stanslaus sceptra Loilæ
 Cùm domibus præerat Rector amoris erat.
Devinxitq; sibi sociorum pectus, & ipsos
 Devinxit Cælos, omnia vincit amor:

CCLXV in Idem.

Si flectens Socios Stanslaus Rector amoris;
 Hoc quisquis vixit Præside, vixit amor.

CCLXVI. in Idem.

In Patris, Socii volucres mandata ruebant
 Stanslai in nutus ire, volare fuit.
Rector amoris erat; promptas amor addidit alas;
 Fecit & alatos Præses amore Patres.

P. Stanislaus Gawronski Illustri domo natus, Romæ Theologiæ dans operam, B. Aloysium contubernalem & familiarius sibi addictum imitatur. Nadasi in anno.

CCLXVII.

Dans operam Studiis, Romam caput ambiit Orbis
 Ad caput Orbis erat frons speciosa Pater.

CCLXVIII. in Idem

Crescis in astra Pater, Larios translatus in Agros
 Transplantata magis crescere palma solet.

CCLXIX. in Idem.

Sollicitam pascit cum Diva sc entia mentem
 Impiet Aquinatis mensq; beata caput.
Discendi major præ pectore sedit amoris
 Cura sacri, sedit major amoris, amor.
Angelicum calamo pingit dictante Magistro
 Dum Genium, Angelicas exhibet ore genas.
Dum niveæ mandat Christum cum Numine chartæ
 Cum Christo Numen cordis in arce notat.
Distinet attentas pennâ cum gratia dextras;
 Corde, Dei digito gratia scripta, patet.

Fada

Fæda Theollogicum fugiunt cum crimina fulmen
Stanslaus velox effugit omne nefas
Ad palmam reliquis fuerat qui cursus honoris
Gauronio studii cursus in astra fuit.
Cursus in astra fuit, si cursum dixero, mentis
Compositæ fuerat, cordis & una quies.

CCLXX. *in Idem*

Dum versat præ fronte Thomam, præ lumine libros,
Gonzagam medio pectore fixit amor.
Dogmate si vulgi, medium tenuere Beati
In vita Aloizi Dive beatus eras.

A morte annis pluribus, corpus ejus inventum penitus incorruptum, colore albo succo recenti quin & sanguine è presso labio, & auricula dextra expresso, sarcophago, ac vestibus absumptis Auxit admirationem locus humidissimus à vicino fluvio. Nadasi.

CCLXXI.

In Patris exanimum, nullum jus, Parca cadaver;
In corpus, tellus jus neq; dira tenet.
In vita, victor generosus corpore, terræ;
Debuit à terra post pia fata coli.

CCLXXII. *in Idem.*

Post funus candes; ad honores spero beatos
Candida membra tibi calculus albus erant.

CCLXXIII. *in Idem.*

Et post fata bonus, fateor, Stanslae fuisti (a)
Integra ex causa fas mihi nosse bonum.

CCLXXIV. *in Idem.*

Vernantem legi vultu rubuisse cruorem;
Non cruor; exornans membra rubinus erat.

CCLXXV. *in Idem.*

In Corpus minimè profecerat, humor & undas
Ignatii caluit fortius igne Patris.

P. Sta-

a) Alluditur ad axioma Philos. Bonum ex integra causa

P. Stanislaus Szczytnicki Jllustri prosapia satus, sui contemptu admirabilis, humilitatis studio stupendus. Menologium Pol: S. JESU.

CCLXXVI.

Jllustri de gente datus Szczytniccius Orbi
E clara Ignatio stirpe datusq; Patri.
Jllustres humili probitate recusat honores
Obscuro insuperos eligit ire gradu.
Nec timet angusti super astra pericula, callis;
Agnus erit propero clara lucerna pedi.

CCLXXVII *in Idem.*

Jllustres Proavûm vix obscuravit honores
In se oculos flexit, flexit & ora virûm.
Attrahit, ecclypsim indutus sol, lumina gentis,
Et mirabundum lugubris umbra facit.

CCLXXVIII. *in Idem.*

Stanslaus, Patrio crevit qui ô grandior ortu
Expetit obsequiis vilibus esse minor.
Cûm alta majestate domus penetraret olympum,
Ipsam mente humili vult penetrare stygem.
Cred te lanx fuerat, meritorum pondere dives;
Nescierat sursum, mole volare gravis.

CCLXXIX. *in Idem.*

Par meritis pretium fersi, Stanislae recusas;
Par pretium non est ausibus omne tuis.

Absolutô Provinciæ guberniô, demissionis & Zeli studiô, Missionem Valachicam & Moldavicam impetravit, stupente ipsomet Casimirô Poloniæ Rege. Ibid.

CCLXXX.

Post Lojolani præcelsa guberniâ scepti
Post abjectum humeris, grandis honoris onus,
In Valachæ promptus sublima commoda gentis
Commoda Moldavicæ gentis in alma volas.

Sol velut emenso nostri moderamine Cæli,
Lumen in Indiacas flectit ab axe plagas.

CCLXXXI. in Idem.

Ultra Sarmatici pergit confinia Regni;
Stanslai zelo, Lechia parva fuit.

LIBER TERTIUS
DE
B. JOANNE FRANCISCO Regis

Nascitur in Castello Fons opertus dicto P. Tanner in Soc: JESU Europ.

Epigramma I. Votivum.

Fundere vota tuis cum vates metra triumphis
Cogitat, & laudes strictus anhelat amor.
Flumina Mæonii fluxere in carmina Fontis
Riserat & blando Pegasis unda sono.
Non tamen æthereo satis arridere Pòëtæ.
Effecti poterat lympha diserta jugi.
Fons placuit Patrius, fueras quo fusus in orbem;
Largior hic vati fons Heliconis erit.

II in Idem.

Dogmate communi, gaudent pretiosa latere;
Declinare oculos, quæ speciosa, solent.
Cæruleo Neptuni operitur marmore gemma;
Mole, metalla gravis montis, operta gemunt.
Concessus terris in Fonte latescit Operto
Franciscus, pretii nobilioris erat.

III.

III. *in Idem.*

Unguentum Sancti fragrans Franciscus amoris
Ne exoleat; Patrii Fontis operta, cavent.

IV. *in Idem.*

Intra Castelli prognatus mœnia; Sanctæ
Franciscus fidei Murus ahenus erit.

V. *In idem.*

Nascitur ad Fontem, Lojolæ abiturus ad ignem;
Enutritur aquis, quem sacra flamma coquet.
Mirum Dodonæ (a) taceant oracula fluctum
Qui extinctas aluit promptior igne faces.
Laude Jovis fontem, Natalis vicit opertus,
Ignitum Patrem, fons ubi fovit aquis.

VI. *in Idem.*

Nasceris ad Fontem, roseæ flos prime juventæ,
Crescentes flores. littora fontis amant.
Tutior infensi metuas ne pectoris æstus;
Crimine succensos opprimet unda focos.

VII. *in Idem.*

Divini semen verbi, quod Patris ab ore
Projectum, fructu crevit opima seges.
Cur mirer? citiùs consurgere debet, operti
Quod fontis recreans sæpe rigavit aqua.

A sagis ope Dæmonum è cunis noctu extractus, ministerio Angelorum, morti ereptus, nudus & incolumis in terra à nutrice inventus. Idem ibidem.

VIII.

Vir Francisce tener tinxisti lumine Cælos
Natus, lilifero flos speciôse solo.
Flammis qui testus, nunquam difflorhit orcus
Invidit fronti candida serta tuæ.
Expediit Furias Stygio Plutone calentes

Sicca-

(a) Fons Jovis in Dodone, extinctas faces accendebat Plinius Lib: 2.

Siccarent virides igne furente sinus.
Profecere parum, Consumens ignis, Averni
Adversùs flammas, muniit antè, fibras.

IX. in idem.

Non Paphios vereare focos Francisce, nec ignes
Cypridis, innocuè flammea tela cadent. (a)
Quem nec Tænarii læsit fera flamma camini
Scintillas fugies, quas vibrat atra venus.
Angelicæ virtutis erit fulgentius aurum
Quod fertur crudi flamma probasse foci.

X. in Idem.

Alcidæ cur fama canas Cunabula? laudem
Queis peperit solito fabula prisca ioco.
Vicerat in Cunis, colubrum prostraverat infans
Nec cunas ultra roboris ivit honor.
Non satis in Cunis fuerat vicisse Joanni
Ultra infantilem prosilit ille thorum.
Claudi non potuit puerili pusiò tecto;
Quem jussit virtus credere tanta virum.

XI. in Idem.

In Terris extra cunabula Dive repertus
Applausûs fessus pondere, credo cadis.
An postquam fractum bene victor abegeris hostem;
Aggrederis, profugum Ditis in antra sequi?

XII. in Idem.

Nocte licet cæca tam vafrum straveris hostem;
Dignus sole tamen publicô. hic ausus eras.

XIII. in Idem.

Sub Cunis nudus Patriâ spectaris arenâ
Vix oleo tinxit chrismatis, orna caput.
Quid? nisi Te fortem Athletam Francisce probasti;
Cum luctabaris nudus & unctus eras.

XIV. in Idem.

Allisum terræ, spoliandum viribus hostis

Spe-

(a) Illibatam virginitatem tumulo intulit. Tanner.

Speras; aſt erras Antheus alter erit.
Illi terra parens animum vireſq; miniſtrat
Quæ reprimant vivus Pluto cruente tuum.

Inter deambulandum ſomno oppreſſus, uno tantum jam diſtans gradu à lapſu in fluvium, ab Angelo in veſtigio excitatus.

XV.

Dum mentem recreat, paruloq; deambulat agro
Et luſtrat v gili lumine prata puer.
Invaſit placidos Franciſci, ſomnus ocellos
Compoſuit ſenſus & violenta quies.
It tamen & paſſu dubio prætervolat arva,
Fluminis ad ripam, quà leve duxit iter,
Sopitus devenit eò: utſi moverit unum
Fortè gradum, rueret ſub vada, triſtè puer.
At cui Franciſci fuerat data cura regendi
Ex oculis ſomnum ſpiritus egit amans.
Tutior indomito Franciſce quieſce Philippô;
Pro vita Antipater ſtat vigil iſte tua.

XVI. *in Idem.*

Qui Vitæ Fonti vitam devovit; in undas
Fluminis, hâud potuit Patris abire ſalus.

XVII *in Idem.*

Debuerat mentis qui voce reſolvere caſus,
Iſtum dedecuit ſic cecidiſſe Patrem.

XVIII. *in Idem.*

Tempore quod volvit mens experrecta diurnô
Id capiti revocat noctis amica quies.
In votis, hominum Piſcator amore, diurnis
Franciſcus, ſomno, flumina, preſſus adit.

In os conviciantis fœminæ, volam luto impletam effudit, cùm monitô non proficeret.

XIX.

Perſanans hominem viduatum lumine, Chriſtus

Illis

Illiniit madido concava cæca luto.
Cæco latrabat mulier correpta furore
Hinc pariter fuerat delinienda luto.

XX. *in Idem.*

Alterius famam linguâ fædabat iniqua
Deterior luteâ fæmina fæce, procax.
Disceret ut melius voces limare deinceps
Obstruxit limo fætida labra Pater.

XXI. *in Idem.*

Limum de platea collectum fudit in ora;
Ora cavillantis spurca, canalis erant.

XXII. *in Idem.*

Audaci Francisce precor mihi parce Pöëtæ
Cum plasmatoris, te metra, voce canent.
Per tetrum corrupta fuit male fæmina crimen;
Nomine necq; hominis digna, nec ore probi.
Plasmantis tu more Dei deformia tingis
Ut recrees hominem, labra liquente luto.

Noctes, duris incumbens, aut pugno innixus, exigebat.

XXIII.

In dura Francisce cubas tellure quiescens;
Sustentant fessum saxea strata, caput.
Aurea credo fuit virtus præ pectore Patris,
Aspera quam Lydo, marmore, saxa probant.

XXIV. *in Idem.*

Noxia compositam invadant ne somnia frontem
Opposito pugno terret itura puer.

XXV. *in Idem.*

Mollibus in thalamis cum pectora dura cubarent
Elegit duram, pectore mollis humum.
Pro noxis populi ut contritus corde doleret
Allisit duro corq; sinumq; loco.

XXVI. *in idem.*

Ne molli terræ Franciscus adhæreat unquam,
In duro sternit corpus & ossa solo.

XXVII. *in Idem.*

Incumbis palmæ dans tempora fessa quieti;
Somni, pervigili vertice, victor erat.

XXVIII. *in Idem.*

Supposito fulcit languentem pollice frontem;
Sanctum indigna fuit tangere terra caput.

Iter arduum Proximi juvandi causâ, per montium juga emetiens, crure fracto properavit nihilominus quo vocabat obsequium; leucisq; binis superatis, crus consanatum reperit.

XXIX.

Formandæ festinus obit dum munia plebis;
Difficilis superans culmina dura jugi.
Funesto lapsu in cautes crus fregit; in omni
Cautior incessu curreret ille licèt.
Corruit ille tamen minimè, qui surgere fecit
E lectis ægros criminibusq; viros.
Emensus binas confracto poplite leucas
Obstupuit sano crure, valere pedem.
Integritas morum, integritas vitæq; Paternæ;
Debuit integro nonnisi stare genu.

XXX. *in Idem.*

O artem zelose tui properantis amoris
Proximi in obsequium, servitiumq; Dei!
Promptius ut curret, plebi succurrat egenti
Sollicitus voluit multiplicare pedes.

XXXI. *in Idem.*

Et fractâ properat constans per jugera plantâ;
Angelus est, pennâ, nec gradiendo, volat.

XXXII. *in Idem.*

Fracto crure pates speculum fragile esse; sub omni

Infra-

Infractus cujus parte relucet amor.

XXXIII. *in Idem.*

Quà populi mandatur amor, ne frangere legem
Dive videreris, frangis eundo pedem.
Mandati tenuisse viam non posse putaris
Tutiùs, ac læsô saxa per arcta genu.

XXXIV. *in Idem.*

Nasoni credo, quod sunt in amore dolores;
Sanctè quisquis amat, jam minus ille dolet.
Senserat ærumnas vulgi Franciscus amando,
Nec durum cruri sensit inesse malum.

XXXV. *in Idem.*

Quâ sic decurris leucam Francisce secundam;
Certiùs hæc fateor planta secunda fuit.
Si leucas confracta duas emensa volavit;
Uno tota gradu scandere in astra potest.

Excursionibus Apostolicis deligit maximè tempus hybernum.

XXXVI.

Cum sæviret hyems glacie cum terra rigeret,
Torperetq; gravi frigore tristis humus.
Tunc Pater in villas zelosus abibat & urbes
Vulgando plebi sacta statuta rudi.
Non potuit meliùs tuus ardor Dive patere;
Quam dum concretis æstibus aisit humus.

XXXVII. *in Idem.*

Sunt gelidæ mentes, glacialia pectora cordis
Duritie superant, uel Boreale gelu.
Hæc ut molliret, sacroq; accenderet igne
Fortibus hybernis æstibus usus erat.

Aliquoties conjurati lenones ut Patrem in loco occulto interimerent, arcana quadam vi, semper prohibiti.

XXXVIII.

XXXVIII.

Conde venenatos ausus spurcissime latro;
Est leo, non poteris leno nocere Patri.

XXXIX *in Idem*

Qui vestrum, Venerisq; nefas impugnat & arcet;
Angelus, humano nomine major erat.
Succubuit vestris, minimè, telisq; minisq;
Angelicum quis enim lædere possit ebur?

XL. *in Idem.*

Angelicæ fueras tuitus virtutis honorem
Angelica à Te abigit Fata cruenta, manus.
Si tibi Cælestes sidi famulantur ephebi;
Te superûm hæredem noveris esse Pater.

Nihil unquam obscænum in mente & corpore sensit

XLI.

Nulla tuam mentem, Veneris corrupit imago
Corpus, nulla sacrum læserat igne Cypris.
Virginem ut æquares Joannes Virgo Joannem
Non oluere putrem membra pudica Paphon.

XLII. *in Idem.*

Ipso teste Deo fateor Te Dive beatum (a)
Quem mundo fasti corde fuisse, docent.

XLIII. *in Idem.*

Tangere flamma procax artus non ausa; madebat
De vitæ totus fonte favente Pater.

XLIV. *In Idem.*

Sorduit haûd ullum niveo præ pectore cænum;
Nam cælum gremio mens generosa tulit.

XLV. *in Idem*

Gemma es sidereæ decori adjungenda coronæ;
Virgineo Conchæ pasceris ergo sinu.

Horam mortis propriæ prævidit & prædixit.

P2 XLVI.

(a) Beati mundo corde, ait Christus.

XLVI.

Sunt, quibus ignoto labuntur lustra meatu
Et nullo præceps ordine vita fluit.
Tales, non mirum, lateat quod funeris hora
Jllos si præsens vita, diesq; latet.
Disposuit pulchra serie sua lustra Joannes
Hinc sciit extremum certus adesse diem.

XLVII. *In Idem*

Æternam vitam, vates qui prædicat orbi;
Prædicit mortem qua ratione sibi?
Correptus zelo, populorum, funere pulso
Augeat ut vitam, cedit & ipse suam.

In nomine Christi dato imperio, lethali febri ut cessisset è Virginis corpore, illico eandem fugavit.

XLVIII.

Arserat ignivomis per totos febribus artus
Virgo, pias flammâ triste vorante genas.
Cessit fronte color, cesserunt corpore vires
Virus putre suum dificiente febri.
Pæonis minimè juverunt, pocula succi
Necq; Galeniacâ pocula mistâ manu.
Ast ubi stricta dedit morbo mandata Joannes
Cedere ut velox cesserat ille celer.
Sic, consumenti facilis qui paruit igni,
Febrili valido præcipit ore faci.

XLIX. *in Idem.*

Cessit jussa febris præceps de carne puellæ
Absq; mora, Regis jussa potentis erant.

L. *in Idem*

Expuleras Veneris casto de pectore flammas;
Justum est, ut pellas corpore, Dive febres.

LI. *in Idem.*

Ferventes de corde preces effundit ad astra
Mirandâ fervens dum fugat arte malum.

Febriles solers extinguat ut ignibus ignes,
Majorem gremio nutrit amore focum.

Evacuatam frugibus in pauperes arcam, replet mirè denuo, dicto: Ergo replenda arca denuo.

LII.

Semen erat verbum Luca testante; fatebor,
Voces, sementis vim tenuisse, tuas.
Projicis ore sonos vacuatæ frugibus arcæ,
Et crescunt; voces seminis instar erant.

LIII. *in Idem.*

Cur tamen excrescunt subitò frumenta? Joannis,
Sudor Apostolicus tinxerat illa, vadô.

LIV. *in Idem.*

Desine Arithmesis Naucrattes (a) tradere leges,
Nec, mihi Sidonii (b) regula vestra places.
Æterna edocuit meliùs sapientia Patrem
In vacua fruges multiplicare penu.

LV. *in Idem.*

Francisci quam larga manus dispersit egenis,
Creverat innumero fænore prompta seges.
Sunt fæcundus ager (c) miseri Doctore fatentes,
A Patre hic, video, sat bene cultus eras.

LVI. *in Idem.*

Obryzo tumidas, Reges cur tollitis arces
Elogiis? Regis ditior arca fuit.

LVII. *in Idem.*

Exempli vis tanta tui Francisce, movebat;
Ut larga in miseros arca vel ipsa foret.

(a) Naucrates primus traditur ab Ægyptiis, numeros ostendisse & computasse. b Sidonii in Phænicia Arithmeticam invenerunt. Sardus. c Facundus est ager pauperum, cito reddit donantibus præmium. Ait S, Augustinus Serm: 25. de verbis Dom.

LVIII. *in Idem.*

Cur mirer, fruges quod procreet ore diserto?
Frumentum Christus, cûi labra rexit herus.

Fœminam in hæresi pertinaciter obfirmatam, unica interrogne: Et tu non vis ad S. Ecclesiam converti? *ad ejus gremium reduxit.* Tanner.

LIX.

Hæreticis seducta dolis male fœmina; sexu
Debilior, vafro fortior ore fuit.
Egerunt multi, multi svasere tenaci
Non dubio arriperet pectore, certa fidem.
Irritus at conatus erat; quoad ipse Joannes
Vocibus exiguis maxima svasa dedit.
Audito vix Patre, fidem celer ambiit; atræ
Hæresis insanos corde fugando dolos.
Tam paucis Francisce trahas cum pectora verbis;
Gallicus Alcides crederis esse mihi.

LX. *in Idem.*

Patronum Francisce (a) tuum stipaverat agnus;
Errans Franciscum te, comitatur ovis.

LXI. *in Idem.*

A vera deserta fide matrona latebas
Tu per desertum vox resonantis eras.
Inclamans, victam fidei cum junxeris; imples
Joannis meritis Nomen, & ore vices.

LXII. *in Idem.*

Passus erat quondam crudelia vincla Joannes;
In cor Matronæ tu pia vincla jacis.
Nec male consilium cessit, conversa repente
Vinctas, sponte suâ dat tibi Dive manus.

Prophetico Spiritu, multis vitam, multis mortem prædixit. LXIII.

(a) S. Franciscus agnellum habuit, qui etiam chorum cũ Sancto adibat, & gestu cultum Numini testabatur. Bagatta in admiranda orbis Christiani historia.

LXIII.

Prædicis vitam, prædicis funera multis;
In manibus linguæ, vitaq; morsq; tuæ. a

LXIV. *in Idem.*

Augurio ex Aquilis prisci novere futura
Crebrò Fatorum nuncius, ales erat.
Prænoscis certus ventura pericula vates;
Ex Aquila Indigetis (b) credo quod omen habes.

LXV. *in Idem.*

Sancta recusanti vafræ præcepta puellæ
Pollicitus mortem, ni sapuisset, erat.
Noluit Astrorum Domino quæ vivere; mille
Funeribus mulier digna perire fuit.

Claudus adolescens, à Sacerdote. B. Joanni commendatus, sub tempus Sacrificii pro se ad Divi tumulum acti, fulcris sponte elapsis, sanus stetit.

LXVI

Portentis Francisce tuis exordia figens
Ægrum pro fulcro cur petis esse pedem?
Elegisse caput decuit seu tempora; mente
Quæ colerent memori facta stupenda diu.
Nec palmis indigna sacris miracula, palmis
Credere debueras victor opime mali.
Magnorum digitus gestorum quilibet index
Affores indigitans mira patrata solo.
Ipsis prodigiis humilis vis Dive videri
Exiguo condens maxima gesta pede.

LXVII. *in Idem.*

Demus Francisco veniam; bene providus egit,
A tenui exorsus prodigiosa pede.
Progressum inde sibi facient miracula; curret
Laus, hoc nixa, orbis regna per ampla, genu.

(a) Alluditur ad illud: Mors & vita in manibus linguæ.
b S, Joanni aquila appingitur.

Curret ad Antipodas, fulvos properabit ad Indos
Viset & Arctdos Hesperiosq; lares.
Pennatam Hermetis nec quæret ab æthere plantam,
Promptior in claudi nobiliorq; pede.

LXVIII. in Idem.

Ponite vos vestro columen sublime decori
Fulcra deauratæ nixa superba basi.
Non bene fundati quos erigit ambitus orbis,
Ut firmet, minimè fulva juvabit humus.
Vitreus est orbis, vitreæ non discolor urnæ,
Quis tutus vitreâ, tecta locando basi?
Consuluit melius proprio Franciscus honori
Hunc parvo voluit poplite stare licet.
Omine non falso, nec ficto nomine, planta hæc,
Planta triumphorum, planta decoris erit.

LXIX. in Idem:

O zelum Francisce tuum hec morte repressum!
Quem nec atrox Lachesis, Parca nec atra scidit.
Humanæ quo vivus adhuc fervore salutis
Flagrabas, illo vel cinis igne calet.
Cum Davide tenere vias vivendo docebas,
Hoc ut agat juvenis, mortuus ipse facis.
Quo bene currat iter nec claudus cespitet, illi
Depulso firmas Dive dolore pedem.

LXX. in Idem.

Nec solum humanæ flagravit amore salutis,
Et cordi vigil est, Numinis altus honor.
Vidit quod flexo venerari poplite summum
Non potuit juvenis clade vetante Deum.
Dixerat: Erecta inclinavi tempora Cælo,
In cultum flectam crura superba Deo.
Et subito dolor abscessit quo strage tumebat
Inclinare negans crura dolenda Polo.

LXXI. in Idem.

Dic mihi Regali clementia debita sceptro,

Ac amor in miseros, Regis herile decus,
Quo melius nutrita sinu, gremioq, recepta
Regum lussisti culta Ducumq, manu?
Lapsos, tam celeri quis dextra erexit egenos
Inq, pedes larga sæpe leuavit ope?
Nostri Francisci nec inani nomine Regis
Si cernas promptas in pia dona manus?
Dices: tam facilis pedibus qui reddidit ægrum
Rex est, & Regis nobile nomen habet.

LXXII. *in Idem.*

Orbe tuos totô, Macedo metire decores
Facta solo, laudes æquoreoq, salo.
Non æquat mensura tuos tam grandis honores,
Ipse tibi parvus mundus uterq, fuit.
Sed tamen exiguum est quo victor magne superbis,
Qua Pellæe tumes, fama pusilla fuit.
Et laudes & facta mei majora Joannis
Hoc quamvis tenui metiar illa pede.

LXXIII. *in Idem.*

Viderat id livor, fatum incurabile, junctus
Qui pulchris, sequitur gesta suprema comes,
Invidiâ stimulante viros excivit, amarô
Hæresis infecit quos, male sana dolo.
Intendêre trucis ferventia spicula linguæ
Ut peterent Sanctum dente furente virum.
Sed numen, casus cælo quod spectat ab alto
Et temeræ reprimit tela cruenta manûs.
Quæ sacra Francisci tueantur gesta, cohortes
Legit, non unus quas bene struxit eques.
Et ne militiæ peditatus robur abesset
Hunc firmo peditem fecerat ire pede.

LXXIV. *in Idem.*

Terra nocens desiste tuos jactare favores
Non favor iste tuus sed furor esse solet.
O quam non recti, vafri sunt orbis amores!

Claudicat in partem mundus utramq, favens.
Id bene perspexit Franciscus, sæpe probavit;
Ast ut corrigeret, providus egit ope.
Non claudo ire suam pietatem poplite fecit,
Ne suus in miseros, claudicet amplius amor.

LXXV. *in Idem.*

Etsi te condas humilis Francisce sepulchro
Et cæco lateas morte tegente, loco
Famam non fugies velox comitabitur artus,
Tam bene firmato, non male nixa pede.
Et vates supplex te cursu Dive sequetur
De non frangendo certus ab axe pede.

Lacerato à cane, pueri vultui, admotum Togæ Patris frustulum, cruorem stitit, qui nulla arte cohiberi potuit, & dolorem fugavit.

LXXVI.

Natus erat, quem dente canis laceravit acuto
Et rupit roseas ore furente genas.
Erumpit vasto non parcus vulnere sanguis,
In venis nulla sistitur arte cruor.
In cultu fuerant vestis segmenta Paternæ
Integra quæ poterant frangere forté mala.
Hæc vix applicuit laceris pia dextera malis
Substitit & sanguis, fugit & ore, dolor.
Ne rubor innocua caderet de fronte pudicus,
Sanguineas cohibet Divus in ore rosas.

LXXVII. *in Idem.*

Cum sævo pueri pugnabat vita dolore,
Hunc Lachesis, uitam juverat alma salus.
Funestum certamen erat, fera vincere vitam
Parca videbatur, cedere visa salus.
Crudeli prostrata foret male, vita duello
Adferret pacem ni toga (a) sacra Patris.

LXXVIII.

a] Toga pacis signum.

LXXVIII. *in Idem.*

Orcifero, nunquam quem Cerberus ore momordit
Jlli cesserunt sponte, venena canis.

LXXIX. *in Idem.*

Quod facies sit Dive tui miranda decoris
Hac lego de facie, frontis in axe patet.
Vultibus inscribis, fortis miracula dextræ;
Proxima facundis digna stetisse labris.

LXXX. *in Idem.*

Peccati, reprobo pepulisti corde remorsus, a
Offenso morsus cessit ab ore tibi.

LXXXI. *in Idem.*

Fimbria, continuit fugiens de corpore tabum,
Christi, quam tetigit fæmina mæsta manu.
Attactu cohibet, profugum toga secta, cruorem,
Francisci, Christi noscitur esse comes.

LXXXII. *in Idem.*

Vestis ad attactum subitò cruor artubus hæsit,
Obstupuit credo nomen & acta Patris.

LXXXIII. *in Idem.*

Si sint plura tuæ Joannes fragmina vestis,
Speratur populo tota futura salus.

Virgo insaniens, ad tumulum Beati, appenso pectori frustulo togæ ejusdem; sanæ menti restituta.

LXXXIV.

Desipuit Virgo, violentâ fracta phrenesi,
Sensibûs, insana vi spoliante, caput.
Profuerat minimè quæsita medela sub hortis
Obstitit & Phæbi coctilis, herba parùm.
Ad Sancti tumulum, votis oblata suorum,
A tumulo, cumulô plena salutis abit.
Quisquis desipuit, discat, si consulat urnam

Ut

a) Alluditur ad remorsus conscientiæ,

Ut sapiat, nunquam desipiatve, sciet.

LXXXV. in Idem.

Insanire facit permultos luxus amictûs,
Insanam mentem vestis at ista fugat.
Eripit è medio convulsos funere sensus,
Stultitiæ patitur funera nulla pati.
Sola salus fateor, vestem contexuit istam,
Inseruit stamen Parca nec atra suum.

LXXXVI. in Idem.

A te quæ sanam rationem Virgo recepit,
Non sine, abhinc justa te ratione colet.

LXXXVII. in Idem.

Parca ferox hucusq, bona ratione carebat,
Quemlibet insano visa secare modo.
At nunc dementi mentem cùm formet adultam,
Ingenio didicit jam sapuisse Patris.

LXXXVIII. in Idem.

Cum Te, Virgo colat submissis cultibus amens,
Amens est, qui Te non veneretur amans.

Catharina Martella oculis capta, asperso palpebris pulvere à tumulo Beati, visum illico recepit.

LXXXIX.

Catharina fuit, quam cæcum, lumine Fatum
Orbavit, viduans luce patente, genas.
Audiit à tumulo multos optata referre
Francisci, vacuo nec remeare sinu.
Præmissis votis adiit consisa sepulchrum
Aspersit tumuli pulvere, mæsta genas.
Ut niteant res, luce nova; poliuntur arenâ,
Lumina ut illustret, pulvere virgo polit.

XC. in Idem.

Elicit & lachrymas, oculos & arena lacessit
Pupillas quoties involat, alta petens.

Incisci à tumulo lumen non lædit arena,
Non fletus, stipant gaudia sola Patrem.

XCI. *in Idem.*

Desine jam salso corrumpere mæsta fluento
Virgo genas, tristi tinge nec ora vado.
Jam tua nec, liquidæ maculabunt labra querelæ;
Exsiccat maculas quæ maduere, Cinis.

XCII *in Idem.*

Hi tumuli, cladem Divus quam stravit, arena,
Aspersâ sepelit Virgo, cadaver humo.

XCIII. *in Idem.*

Humanam in Divum te virgo memento (a) futuram,
Sparsus id insinuat fronte genisq; Cinis.

*Henricus Morus, amissum ad tumulum B. visum,
& eundem supplex recuperavit.*

XCIV.

Lumina restituit cæco, nam digna videri,
Toto laudandus gessit ab orbe Pater.

XCV. *in Idem.*

Pupillæ dum Sancte geris post funera curam
Diceris & tutor, blandus & esse Pater.

XCVI. *in Idem.*

Dignatus geminum cæco qui reddere lumen,
Respectu haûd uno dignus ab orbe fuit.

XCVII. *in Idem.*

Hanc, erras quisquis feralem dixeris urnam
Quæ fundit sortes, urna salutis erat.

XCVIII. *in Idem.*

Non cæco post Fata modo vult Divus amari,
Cultori reddit lumina blanda suo.

XCIX. *in Idem.*

Lumina de tumuli accendit formosa tenebris,

Nu-

(a) Alluditur ad verba diei Cinerum: Memento homo.

Nube velut, tectus pulvere Phœbus erat.

Globuli ex sepulchri gleba confecti, adversus omnes morbos, febres præsertim, salutiferè adhibentur.

C.

Cultores, non jam febrim trepidate, Joannis
Tam forti, miserè corruit icta globo.

CI. *in Idem.*

Hoc ferias quam Magne globo Patrone; piorum
Est hominum, fateor, meta suprema salus.

CII. *in Idem.*

Omnibus, ad cursus est forma celerrima sphæræ
Trusa semel, volucri volvitur illa gradu.
Allaturus opem veheris Francisce rotundis;
Non pateris, miserûm ad vota volando, moram.

CIII. *in Idem.*

Sit segetis tibi gleba ferax Saturne vel auri,
Fundat, quas fulvo viscere clausit, opes.
Dives, Francisci pretiosâ Gallia, gleba;
Invidet hæc minimè semina, crede, tibi.
Jlla tulit segetem, parit hæc fæcunda salutem
Hæc vitam vites fuderat illa sinu,

CIV. *in Idem.*

Est bene consultum orbatis Francisce salute;
Quod vitam felix orbus ab orbe capit.
Insani orbis dediscet coluisse favores
Cum sanum vitæ pignus ab orbe feret.

Magdalena Monialis hydropem lethalem, anno durantem, maxilla Beati sibi allatâ, fugavit.

CV.

Vivus adhuc humilis, pellit post Fata tumorem;
Qualis vita fuit, fata suprema docent.

CVI. *in Idem.*

Samsoni profusa sitim maxilla refecit
E mediis unda prosiliente genii.

Hæc

Hæc Parcam extinxit lethali hydrope famentem;
Fons vitæ in Patris fixerat ore vadum.

Jacobus Rivalius paralysin dextra corporis parte, triennio toleratam, ad tumulum B. amisit.

CVII.

Funere sub gelido, ferventem spirat amorem,
Ardet amore hominum. flagrat amore Dei.
Optima qui Fidei facta adjungenda docebat,
Non patitur dextram sine vacare suo.

CVIII. *in Idem.*

Quem nihil in vita patet admisisse sinistri,
Post mortem dextræ promptius ille favet.

CIX. *in Idem.*

Sanas Dive manum, munus cognominis imples;
Est Regis, miserûm, sorte replere, manus.

Antonia Æstivalia annuum capitis dolorem, implorato Divi auxilio, fugat.

CX.

Anno durantem pellis Francisce dolorem
Attamen ampla tuus sæcla meretur honor.
Sæcla meretur honor cantandus laude perenni
Anni cûi nunquam sufficiuntq; dies.

CXI. *in Idem.*

Non dubiam spem certa salus de Patre resume;
Infensus morbis in caput hostis adest.

CXII. *in Idem.*

Cultus abhinc sit Vigo tibi præ fronte Joannis,
Hanc, illi, profugus cessit in antra dolor.

CXIII. *in Idem.*

Condite sub Pario victores marmore gesta,
Efferat aut Phrygius nomina sculpta lapis.
Durior est saxo, vel ferro durior ipso
Dens, quo consumit marmora, tempus edax.

Inscri-

Inscripsit sua Franciscus miracula Fronti;
Horum nam fuerat non capitale nihil.

Maria Davasse quadriennio morbis variis præsertim cordis palpitantis tremore afflicta, facto voto ad B. Regis, omnibus brevi erepta. P. Antonius Bonetus Lib: 3. vitæ.

CXIV.

Inter lethalis conjecta pericula morbi
Decubuit fracto mæsta Maria sinu.
Læta quater rediit cupidis messoribus æstas
Visa quater cano bruma rigere gelu.
Cum nil de cæpto male sana rigore remisit
Vis, populata putres debilitate fibras.
Cor Fatum properare videns, trepidando tremebat
Et tremulæ venæ signa timoris erant,
A medicis spes nulla ægræ dum vota levaret
Nulla Galeniaco pharmaca lecta libro.
Francisce cultus, Francisco vota litantur
Et fuerant Regis grata tributa preces.
Grata tributa preces, animos quæ flectere Regis
Pellere quæ poterant pectore triste malum.
Omnibus ut cordi Francisce Patrone fuisses
Pectora trux Fatum cesserat ima tibi.

CXV. *in Idem.*

Præ morbo tremulum pectus non credo fuisse
Nec sub mole metus cor trepidasse puto.
Quam præsensit opem Francisci è dextera, anhelans
Dum peteret, cupidum contremuisse scio.
Aut ubi se sensit validurum munere Regis
Lætitiâ saliit concutiente fibras.

CXVI. in Idem.

Cor primum vivens, pateris non funere frangi,
Aut animæ, letho tristè patere, thronum.
Ex animo toti populo es Patrone colendus
Exanimum Fatô qui cecidisse negas.

Cast-

Casimirus Defosse è Franciscana Conventualium Familia, surditate percussus, ad D. tumulum in genua provolutus, laboranti auriculæ collectum è sepulchro pulvere ubi affricat, plenam audiendi facultatem sibi restitutam sentit. Ibidem idem.

CXVII.

Relligiosa ferox invadere tempora virus
   Ausum, sacrilegô nec reverente gradu,
Erecto pavidas sensu viduaverat aures,
   Nec licuit, missos ore, bibisse sonos.
Cumq; foret nullum fas auribus, acta Joannis
   Carpere mira, piis audiit illa fibris.
Audiit, & calido concepit pectore cultus
   Votivus Divo Relligiosus amor.
Franciscanus opem Francisci quæsiit hospes
   Hac proprium condi voce putando Patrem.
Nec spe delusus, tumuli vix tecta subivit
   (Quo Divi recolit lypsana sancta, quies)
In tumuli fractum virus superavit arena
   Aspersaq; malum consepelivit humo.
Relligiosum ob dire(a) tibi quam complacet! aures
   Aptas mandatis si facis esse Pater.

CXVIII. *in Idem.*

Propitii diffusa bene audit fama Joannis;
   Audiri surdis auribus illa potest,

P. Claudius Broæus Pectoris sanitatem recepit, ubi vitam Patris, se scripturum vovit. P Franciscus Creuxius eâdem latinè redditâ, molesto sinistri brachii stupore liberatus, & dolore.

CXIX.

Supplicis exturbat Broæi à corde dolorem,
   A corde afflictis Divus, amicus erit.

[a] In Ly obedire corripuit secundam Victor hoc vers
Jussit adesse Deus, proprioq; obedire Tyranno.

CXX. *in idem.*

Harpocratis cur fcripta colam ? præcepta Galeni
Dêfipiunt, Phæbi clarus & arte liber.
Hæc, qui Epidaureâ, fcripfere volumina, dextrâ,
Non dextrè Fato fuccubuere gravi.
Quæ vitam Francifce tuam confcripferat orbi
Profcripfit mortem fauftiùs illa manus.
Debuit effe liber vitæ, quo fcriptor ab atro
Parcarum factus funere, liber erat.

CXXI. *in Idem.*

Ex humero removens ægri, Patrone ftŭpŏrem,
Pectora non modico noftra ftupore moves.
Debita major erat Sanctæ admiratio vitæ,
Cŭi ceffit velox artubus ifte ftŭpŏr.

CXXII. *in Idem.*

Refpectum meruit, vulgat tua gefta latinô
Sparferat & Francô qui facra facta ftylô.
Aft ego, qui ftrictâ tibi folvo encomia fvadâ
Adftrictum experiar te mihi, pofco, Patrem.

CXXIII.

Nulla licèt noftris inerit, fcio, gratia metris,
E magni faltèm voce Joannis erit.

LIBER QVARTUS
DE
Ven: Roberto Bellarmino S. R. E. Cardinali è Soc: JESU.

Nascitur in monte Politiano, oppido Patrio. P. Tanner

Epigramma I. Votivum.

MAgne Pater, maior Præsul, decor addite Romæ,
Additê Purpureis Præses honore viris,
Cum Phœbea tuis animarem barbitha gestis
Pindaricâ vitam dulcè canente chely.
Aonio de colle Deæ sub metra ruebant
Fertur & ad versus mons salìisse biceps.
Verùm desipuit Parnassi culmen; in altra
Quod solito tollit fabula prisca ioco.
Mons cunis Roberte tuis & honore politus;
Clarius & Phocidis vertice, culmen erit.

II *in idem.*

Providus à longè vesana pericla Lutheri
Vidit & hæreseos monstra proterva dolos.
Prospexitq; tibi maturè Ecclesia; summô
Culmine prognatus vir, speculator erat.

III. *in idem.*

Infra, terra pedes vix nati jacta puelli
Cernitur ac infra nobile, terra caput.
Si puer excedis plantis & vertice terras;
Provectus tanges fronte, Roberte Polos.

IV. *in idem*

Præcipites densæq; magis de montibus undæ
Quas superi indulgent imbre cadente, ruunt.
In Te Sancta Fides, in Te Loilæa Propago

A Patre larga fluent dona, tenente jugum.

V. In idem.

Primo nascentis feriuntur lumine solis
Missa supercilio saxa sub astra, gravi.
JESU oriens nomen, Te natum culmine; luce
Jesuitam faciens, tinxit ab axe puer.

VI. in Idem.

Dignus erat toto Robertus ab orbe videri;
Concessus terris per juga summa stetit.

VII in Idem.

Bellarmine petis suprema cacumina nascens;
Omnia sunt cunis inferiora tuis.
Alta mente solum, terrenos mente decores
Celsus ut excedas, terrea monte subis,

VIII. in Idem.

Romuleos meritis montes qui æquavit adultus;
Debuit hunc clivus progenuisse Patrem,

IX. in Idem.

Justè, pregnatum te alto de sanguine dicam;
Culmina quem membris inseruere tuis.

Nascitur in Festo S. Francisci Assisinatis. Idem.

X

Francisco cur luce sacra festinat in orbem
Lux Fidei, clarus Religionis honos?
Splendere haud meliùs potuit, quam Patris ad umbras
Pauperis; est ingens umbra nitoris honos.

XI. in Idem.

Franciscum jam nullus abhinc fateatur egenum
Quem, gemmam terris hanc peperisse lego.

XII. in Idem.

Imò cunctus abhinc Franciscum jactet egenum
Quem propriâ gemmam hanc luce tulisse, lego
Ditior Æquoreâ, Paupertas concha; struendum
Quæ nutrit gemmas in diadema Poli.

In

In monte Regali Rhetoricam docet, & simul ordinarium Concionatorem agit, eô sui superioris testimonio: Nunquam sic, ut iste locutus est homo. *Idem.*

XIII.

Majores Latiis Cicero modulare triumphos
Tolle supercilium, tolle sub astra caput.
Non, humili depressa stylo facundia serpet
Grandis humi, in montem quam vir hic ore vehit.

XIV *in Idem.*

Cur Graii laudent Demosthenis ora diserti?
Doctiloqvum nec Te fama Cethege canat.
E cathedra quisquis, Regali monte, tonantem
Audiit eloquio nobiliore Patrem;
Dicendi sublime genus tenuisse fatetur
Excessit cultu saxa quod alta suo.

XV. *in Idem.*

Non ut homo loqueris Regali monte, Roberte;
Divinum verbum nam tibi verba struit.

XVI. *in Idem.*

Dignus erat, superi quem junctim audiret & orbis
Hinc medius terras inter & astra docet.

XVII. *in Idem.*

Præcipiti cursu fontes labuntur ab alto,
Flumina sub montem tu ore diserta trahis.
Nec mirum; terris alii sunt voce disertis
Tu Cæli & superum Rhetor amænus eras,

XVIII. *in Idem.*

Est Regina tibi Causine (a) scientia Tullii
Rex Cicero. Regis labra diserta decor.
Si quando Regina fuit facundia; certè
Jllam Regali monte, docente Patre,

(a) Edidit Librum sub titulo: Regina eloquentia,

XIX. *in idem.*

Æquavit pretium studiosis vocibus auri
Monte docens; semper monte metalla latent.

Prælectionibus controversisticis Roberti, ipse Cardinalis Radivillius adesse voluit. Idem.

XX.

Calvini nodos, nodos Roberte Lutheri
Dissolvens gladio vincla secante Petri.
Vibrabas sacros velut horrida fulmina textus
Verbaq; scripturæ verberis instar erant.
Mentis ad invictæ, celeberrima nomina, robur,
Ausoniiq; Patres obstupuere tuæ.
Audiit & Tyrio Princeps Radivilius in ostro
Purpureum Lechicæ gentis, in urbe decus.
Suffundant meritò hæreticos ut verba rubore
Ambiit illa sacrâ Purpura fronte rubens.

XXI. *in idem.*

Discipulos Tyrio docuisti Murice tinctos;
Paupere quem texit nigra lacerna sinu.
Sed ne discipulus supra velit esse Magistrum;
Armos præcinxit Purpura sacra tuos.

XXII. *in Idem.*

Supremis etiam Ducibus tua verba placebant;
Verbis ut nummis crede quòd usus eras,

XXIII. *in Idem.*

Illius de summâ controversia laude
Nulla fuit; nisi quod tuus Patre cuncta minor.

XXIV. *in Idem.*

Ad tua verba Patres, hominumq; turbæq; frequentes
Ibant ad flores ut glomerantur apes.
Mellifluo Patrias implesti nectare ceras;
Ex Te, quod legeres suavis habebat apis.

Bellarminus vocatur ab aliis Magister fidei, ab aliis

seculi

sæculi sui Ambrosius, Augustinus; Apicem Theologorum alii, Malleum hæreticorum, Ecclesiæ propugnaculum, Christianæ Fidei columen, plurimi dixere.

Idem. XXV.

In Te tot laudes referunt oracula Romæ
Vix omnes poterant quot meruisse viri.
Quod docti fecisse viri potuere nec omnes
Solus agis; solum cingit & omnis honos.

XXVI. *in Idem.*

Ambrosias ex ore tuo fluxisse stupebant;
Temporis Ambrosium te coluere sui.

XXVII. *in Idem*

Melleus es Doctor, sectarum malleus esse
Fortis, & hæreseos diceris alme Pater.
Tu si Calvini, sis malleus atq́, Lutheri
Fortunæ fidei sit faber ipse Deus.

XXVIII. *in Idem.*

Munimen fidei Romæq́, Roberte vocaris;
Sedis Apostolicæ murus ahenus eras.
Paupertas ut murus erat pretiosa Lojlæ
Hæc fecit, tanti roboris esse virum.

XXIX. *in Idem.*

Te fidei pariter columen dixere; coruscæ
Te possum fidei dicere lumen ego.
Adscripsit nonnemo basi quod fulcit & ornat;
Fulcit & illustrat nostra columna fidem.

XXX. *in Idem*

Agnovere sui Augustinum temporis; illi. a
Ignitum appinxit cor, calefactus amor.

Obedientiâ præceptoq́; adigitur ad suscipiendam Purpuram; Quam dum induit, erupit in lachrymas.
Idem. *fit Cardinalis.*

(a) S. Augustinus pingitur cum corde igneo.

XXXI.

Te profugum captabat honor, vestigia promptus
Stipabat, fidus, gloria sacra, comes.
Seu Lojoleæ fugeres pietatis in antra
Ibat in antra celer Relligionis, honor.
Se tamen indoluit sperni; summoq́, querelas
Detulerat Latia mæstus in urbe Patri.
Audierat querulum, causam decidit; honori
Addixit profugi tempora pulchra viri.
Jamq́; suum quærebat honor, nec jure volebat
Cedere, promissum vi repetendo decus.
Postea sed nimias contra Te Dive querelas
Erubuit Latio murice, grande nefas.

XXXII. *in Idem.*

Te vertebatur Petrini cardo decoris
Te secura stetit cardine clausa fides.
Hoc ut pensaret condigno grata decore
Cardineæ vitæ cinxit honore caput.

XXXIII. *in Idem.*

Ornant Ausoniæ cum Te redimicula mitræ
Casta & sidonio membra cruore rubent;
Perfudisse sinum lachrymis narraris, & ostrum
Per medias salso fonte cadente genas.
Condires humili insipidos ut vestis honores;
Debueras liquidos imposuisse sales.

XXXIV. *in Idem.*

Purpura dum riguis maduit conspersa fluentis
Per roseam gutta dispatiante togam.
Erumpens oculis hæsit quæ murice lympha;
Stilla putabatur, candida gemma fuit.
Hac & Hydaspeos murex superasse Beryllos
Fertur, & Indiaci luce monile, maris.

XXXV. *in Idem.*

O! quot Purpureo, vitiorum, tegmine, monstra
Tecta, rubescenti digna pudore, latent?

Regali gaudet crimen non vile colore;
Regnat conſpicuum murice, ſæpe ſcelus.
Hæc cocco tinctûm ne tingeret umbra Robertum
Eluerat lachrymis pallia rubra ſuis.

XXXVI. *in Idem.*

Non ſatis eſt humeros oſtro compſiſſe coruſco,
Non ſatis innocuos veſtę rubente ſinus.
Frænavit petaſo generoſam Eccleſia frontem;
In caput hoſtis erat Patris, avarus honor.

XXXVII. *in Idem.*

Splendores Roberte tuos, vitamq́, coruſcam.
Sideribus vultus pronus adoro pares.
Horum Romuleus bene temperat aſtra Galerus;
Solis adumbraſſet frons ſpecioſa jubar.

XXXVIII. *in Idem.*

Ægra laboraſſet ne vertice turba fidelis;
Ipſe laboraſti fronte juvante fidem.
Ergo quæ fidei Petriq; ſtudebat honori,
A Petro petaſo nobilitanda fuit.

XXXIX. *in Idem.*

Paruerat qui conſilio, fugiendo decores
Cogitur imperio grande tenere decus.
Obveniunt aliis Fortunæ, forte favores;
Roberto adſtrictus lege favebit honor.

XL. *in Idem.*

Imperet ut Præſul, facilis parere jubetur,
Qui ſuberat, ſummis ille præeſſe poteſt.

Focum ſummâ etiam hyemę in conclavi ſuo, nunquam accendi permiſit. Frigidam verò nunquam in ſummis æſtibus, refrigerando ori adhibuit. Idem.

XLI.

Acris hyems urit, deſævit frigore bruma;
Negligit algentes, igne fovere manus,

Quid

Quid juvat externis accendere corpora prunis?
Arserat interius corde calente focus.

XLII. in Idem.

Os Syrio fervens, gelidâ nec perluit undâ;
Nec tenui recreat frigida membra rogo.
Contempto fuerat sponraneus exul ab orbe;
Interdixit aquis orbîs & igne sibi.

XLIII. in Idem.

Æstivo fervore nimis quæ flamma lacessit,
Lædit & ardentes sidere stella fibras;
Hanc nutrit blandus, frigenti fonte necatque;
Pascitur igniti filius igne Patris.

XLIV. In Idem.

Lymphas non adhibet, sitiens quêis pectus inundet;
Vitæ, explebat aquâ, fons meliore sitim.

Talorum chartifoliorumq; lusus è suæ diæcesi proscripsit.

XLV.

Grassantes impude jocos, ludosq, profanos,
Eludis, tetrum vi prohibendo nefas.
Spurco sustuleras fætentes crimine talos;
Ad talos Præses maxime sanctus eras.

XLVI. in Idem.

Nec chartæ tibi Dive placent, corrumpit iniqvus
Quas lusus, tractat quas male culta manus.
Te, constat vitæ crebrò lustrasse volumen;
Clauditur hoc, similis pagina nulla libro.

XLVII. in Idem.

Proscripsit, ludos, chartas proscripsit inertes;
Ipsaq; Decreti bajula charta fuit.
Nam quamvis sit charta levis, grave crimen inurit;
Magnum adferre scelus pagina parva solet.

XLVIII.

XLVIII *in Idem.*

Non est creda jocus, vel vilis vivere ludus;
Illudet vitæ, ludere quisquis avet.
Serius in vita, nisi seria Præsul amabat;
Sustulerat lusus quos pigra turba tulit.

XLIX *in Idem.*

Fortunæ dubias signat levis alea sortes
Et malè constantes sortis in orbe vices.
Certus opis; Patris auxilium quicunq; poposcit;
Sustulerat dubii muneris ille notas.

Eleemosynis distribuendis intentus; nil aliquando habens quod elargiretur, rhedam cum equis divendi jussit. Idem.

L.

Sublatis ludis, ludis Roberte peremptis;
Collectas, nimium qui populantur opes,
Colludis superis, opponis munera, sparsæ
Ludis & in gazæ dona locata tuæ.
Plenâ perge manu, gravidas vacuare crumenas;
Solas quas perdet saccus habebit opes.

LI. *in Idem.*

Ludis in orbe vices, pretiosa monilia spargens;
Ludendo, gemmas evomit unda, maris.

LII. *in Idem.*

Ausonios latiæ currus stupuere plateæ;
Riserat & plausu quadrupedante forum,
Ornavit quem clara ducem victoria; vexit
Fama, triumphali fulta per arva, rotâ.
Vicit opes, vicit dextras mens larga tenaces;
Præsuleo plaudens debuit axe vehi.

LIII. *in Idem.*

Virtutum quæ prima foret? quæ dignior? altô
Quæ pietas fuerit digna sedere throno.
Si quæras? eleemosynæ concedere primas

Ambi-

Ambiret partes gloria summa suas.
Mens humilis, petit astra pedes; proniq́, sub axem
Poplitis æthereum, nititur illa gradu.
Aliger intrat amor superos, & remige pennâ,
Ingreditur passu tecta corusca levi.
Majestas eleemosynæ sit quanta, requiris?
Sublimi rhedâ Præsulis, astra subit.

LIV. *in Idem.*

Festinus subeas ut picta palatia stellis
Cæruleos citius prægrediare lares,
Rhedam adhibes, currûs aurigam paupere agente;
Nec tardus pulchro sic revehere Polo.

LV. *in Idem.*

Fallor; contemptam, decrevit vendere, rhedam,
Tolletur miserûm, pignus in astra, manu.

LVI. *in Idem.*

Falcatos currus, Parcæ monumenta secantis
Quid laudem? cecidit quêis male scissa cohors.
Sterneret ut parcas avido cum pectore dextras
Falcatis currus fortior iste fuit.

LVII. *in Idem.*

Circenses ludos celeri temone jocantes,
Certatum curru fama vetusta canit,
Larga cum superis certabat mente Robertus,
Prisco in certamen more vocando rotas.

LVIII. *in Idem.*

Clymenium devolve Polo Rex ignee currum
Excute ferventes cum Phäëtonte rotas.
Largitur miseris. quem, Patris gratia, dignus
In medio superûm currus hic axe coli.
Non parcæ, lucem sol spargens, mentis imago,
Non poterit rheda nobiliore vehi.

Aliàs annulum, eidem eleemosynæ impendit. Idem.

LIX.

Non dubiam captura stipem plebs indiga curre.

Certior

Certior auxilii currito mæsta cohors.
Integrum digitis orbem si donat ademptum,
Quæ, miseræ manui dona negare potest?

LX. *in Idem.*

Detractum proprio Præsul de pollice gyrum
Dicitur in miseras inseruisse manus.
Patrem, Præsuleum decus amisisse putares?
Falleris; hâud periit necq́, reliquit herum.
Qua vicit Numen, plebs ægra fuere Roberto
Altera nempe manus, dextra secunda fuit.

LXI. *in Idem.*

Orbatos opibus, viduatos ære rotundo;
Subtracto digitis adjuvat orbe Pater.
Causam nosse petis? pretiosæ verior isto
Orbita Fortunæ Præsulis orbe fuit.

Rudes pueros catechesi excolit, iisdem Manuscula manu propriâ distribuens.

LXII.

Quem Latij poterant fixi stupuisse magistri,
Quo mirata stetit Roma, docente tacens.
Instillas rudibus pueris oracula; Phæbi
Qualia nec Clarijs ora tulere locis.
Grandibus implesti Doctorum pectora dictis,
Est quærenda tibi turba novella rudis.

LXIII. *in Idem.*

Infundis teneræ cum summa effata cohorti
Condis & exiguis dogmata vasta viris.
In medium revocas veterum miracula; visus
Nucleus Iliadem claudere, gemma Polum.

LXIV. *in Idem.*

Aurea verba labris, fers aurea munera palmis;
Numinis ad cultus ore manuq́. trahis.
Dextram junge labris quisquis mundum allicis astris,
Proficiet minimè lingua, vacante manu.

Syngra-

Syngrapha, sacræ instar edictionis exarata, qua Robertus Dæmoni interdicebat exagitare puellam, è collo energumenæ appensa, hostem abegit. Idem.

LXV.

Exiguum timuit folium malus incola, chartâ
Territus exili fugit in antra stygis.
Injustus possessor erat. Pavet omne periclum,
Jure carens proprio, qui bona capta tenet.

LXVI. *in Idem.*

Paucula verba fugit, quasi plurima verbera Dæmon,
Pulsus voce, velut fulmine tactus abit.
Nubila præ vultu, Cælum præ fronte Roberti
Advertit, fugiens, fulmen ab ore pavet.

LXVII. *in Idem*

Syngrapha vix collo fuerat suspensa gementis,
E collo sathanas cessit & ore fugax.
Pœnam pertimuit colli, ne sectus in orcum
Fronte carens, effrons cederet inde furor.

LXVIII. *in Idem.*

Infensum, cur non, facilis prosternat Avérnum;
Ipsum devicit qui pietate Deum.

Fatentem Robertum, se illibatum Virginitatis florem conservasse, quidam vanæ gloriæ insimulans, vidit faciem ejus solè radiare. Idem.

LXIX.

Intactam temerare fidem, corrumpere sancti
Indicium Patris, desine mente levis.
Annue colloquiis, experto crede Roberto,
Clarius hoc ipso sole fuisse pater.

LXX. *in Idem.*

Nulla Patris corpus tinxere piacula noctis,
Nec fœtâ tenebris Cypria, labe Parens.

Bubo

Bubo nec Idalius niveos accesserat artus,
Fugerat illustres sole micante genas.

LXXI. *in Idem.*

Quamvis Te Roseus nollet frenare galerus
Nec rubra, vinxisset tempora, mitra tibi.
Cardineô meritò fulsisses Præses honore
Vitta latina comis candida vita foret.
Quem bene cardineæ (a) virtutis inaugurat ardor,
Purpureâ Procerum dignior ille togâ.

LXXII. *in Idem.*

Proiice suspectam temero de pectore mentem,
Insimulare pii dicta quiesce viri.
Quæ cæcis abdenda umbris effata putabas
Sensisti tacito quæ reticenda labro.
Orbis digna Polus testatur luce, loquentis
Affixo primo sidere ad ora Patris.

LXXIII. *in Idem.*

Nil sub sole novi, gaudet nec terra recenti
Prodigio, priscâ dogma docente scholâ.
Tu sub sole novum producis in orbe Roberte,
Innocuas condis sole fovente nives.

LXXIV. *in Idem.*

Angelico plantata sinu probitatis, in altum
Surgite, non Paphiâ lilia culta manu.
Sideris influxus, superûm sperate favores,
Quæ, prope Purpureo vertice fixa, nitent.

LXXV. *in Idem.*

Arguis intactum, malesana mente Robertum
Nec Paphii culpas conscia corda, mali.
Hunc ut thesaurum testentur lumina, flammæ
Desuper æthereæ promicuere genis.

LXXVI.

Abscede impostor, fervescunt sidera, pectus

(a) Continentia virtus Cardinalis.

Indignata malum. justior ira calet.
Aut illustranti probitatem crede nitori
Aut citus irato solis ab igne cave.

LXXVII. *in Idem.*

Exortus præ fronte viri sol, famâ corusci
Nominis occasum ne pateretur, erat.

LXXVIII. *in Idem.*

A casti pendet Titan moderamine vultus
Angelica flecti dicitur ille manu.
Id munus concede Patri pennata potestas,
Angelus est puro pectore, mente, manu.

Concionantis facies Phœbeo splendore bis aspecta fulgere. Idem.

LXXIX.

Enodans Divina rudi mysteria plebi
Cum verbis radios solis, ab ore vibrat.
Tænariæ populum nimis oppressere tenebræ,
Sol accendendus, quas pepulisset, erat.

LXXX. *in Idem.*

Impatiens lucis, tenebrarum conscia proles,
Proles Tartarei quam parit umbra foci.
E vultu tenebras, tenebras è mente relega,
Exue nocturnas crimina cæca vices.
Sole Pater sobolem Te lucis inaugurat, astra
Accendunt plausu nobiliore facem.

LXXXI. *in Idem.*

Solis ad illustres radios, Jovis armiger ales
Explorat nati lumina, teste Polo
Quos peperit superis facundia sacra Roberti,
Explorat natos nobile luce jubar.

LXXXII. *in Idem.*

Semina larga manus, scissos dum spargit in agros
Propitium Phæbum voce precante vovet.

Semen verba Dei, populo quæ mittis aventi
Ut crescant, propius sole calente foves.

LXXXIII. *in Idem.*

Ducis in astra rudem populum; ne exerret; ab axe
Detractam præfers fronte micante facem.

LXXXIV.

Astris subtracto Divinior igne Prometheûs
Phæbeum roseo sidus in ore geris.
Faustius, ergo lues ausum non dispare pœna;
In montem à superis Dive ferere Sion.

Cardinales Robertum Sanctum communiter appellabant. Et Urbanus VIII. de eo etiamnum vivente dicebat: eum à se æquè æstimari Sanctum, atq; alios jam syllabo Divorum insertos.

LXXXV.

Non invita canit te Sanctum Vita, Latini
Ore, parem Sanctis Te, coluêre Patres.
Sanctorum insereris profusîs laudibus, albo;
Te candens album vita professa fuit.

LXXXVI. *in Idem.*

Inscribi Sanctis, desiste stupere Robertum
Viventem, mundo mortuus ante fuit.
Mortuus ante fuit, prompta virtute fatente
Parendi; vivus putre cadaver (a) erat.

LXXXVII. *in Idem.*

Præcinxit Titan radiis tua tempora, (b) Sanctum;
Qui vidêre tuum, Te asseruêre, caput.

LXXXVIII. *in Idem.*

Cum Sancto Sanctus facili formabere norma;
Sanctus & ipse, comes si tibi sanctus erit.

(a) Obedientia S. J. cognominata à S. Ignatio Cadaver. (b) Uti supra relatum.

Mores induitor Sancti, quicunq; Roberto
Colloquitur, justum dicere. Sanctus erat.

Capuæ aliquando secus flumen deambulans, piscatores frustra retia laxantes, ubi tentare sortem eodem jussit in loco, uno tractu produxerunt 250. pondo piscium.

LXXXIX.

Squammosos captare greges, fluvialia pisces
Agmina concludunt retia jussa sinu.
Texta tuo facilis si Cifra obtemperat ori;
Nil est, (a) in nutus quod neget ire tuos.

XC. *in Idem.*

Numinis in Verbo laxavit retia Petrus
Collecto rediit pisce, sagena gravis.
Patris ad Imperium, mittunt sub flumina nodos
Piscibus è fluvio retia plena trahunt.
Jesuitæ exueras nigram de pectore vestem;
Te JESU Socium labra Roberte probant.

XCI. *in Idem.*

Timothei nimium felices rideo somnos;
Rideo sceptrigeris retia plena plagis.
Præsulis ad nutus subeunt miracula rete;
Et Deus impellit, quæ Dea cæca negat.

Muto Cælestinorum Assistenti, supra frontem efformato Crucis signo, loquelam restituit. Idem.

XCII.

Relligiosus erat, qui linguæ perdidit usum;
Squallebat tacitis vox male pressa labris.
Indoluit misero Præsul facundus; habenas
Laxavit; linguæ fræna molesta scidit
Effinxit pia signa Crucis referendo loquelam;
Est, Cruce præmissâ, nobile velle loqui.

XCIII.

(a) Cifre dicitur nihil.

XCIII. *in idem.*

Si taceant Patrem famæ cantare loquacesq;
Nobilius muti lingua sub astra feret.

XCIV. *in Idem.*

Attrectas vix Dive manu labra muta tacentisq;
Fatum voce carens ilicet ore fugas.
Viribus insignem sensit seu pondere dextram
Pertimuit labium verbera, verba dedit.

XCV *in idem.*

E Cruce profluxit grandis facundia muto;
Crux etenim verbum sacra perenne tulit.

Feria Sexta moritur. Idem.

XCVI.

Jejunâ super astra die, jejunus abivit;
Cælorum gustus exagitante fame.
Glorià ab ætherei satiandus (a) Principe sceptri
Non patitur resici languida membra dape.
Gratiùs explebunt jejunum sidera gustum;
Quæ condit, sapiens fercula, justa fames.

XCVII. *in idem.*

Commoreris Christo, in superos complaudis euntiq;
Plaudenti, decoris parsq, comesq, Deo.
Pars pugnæ fueras, comes & sub præmia fidus,
Conflictu meriti pars & honoris eras.

XCVIII. *in idem.*

Quænam vita fuit testantur funera; certus
Viventis mores indice morte leges.
Indivisus erat cum viveret assecla Christi;
Cum functo functus numine fata subit.

Mortuo Roberto alii coronam cætus Cardinalium, alii splendidum vestimentum decidisse ingeminabant. Idem.

(a) Alluditur ad verba Job: satiabor cũ apparuerit gloria

XCIX.

Præsulis ereptam querulantur funere, vestem
Ausonidûm rutili veste rubente Patres.
Famam si veteres donârunt nomine vestis
Fama Patrum Præsul maxima, vestis erat.

C. *in Idem.*

Te cecidit, Cættûs speciosa corona cadente;
Collapsum capitis Patre labante, decus.
Grande caput fueras, Rosei frons pulchra senatusq;
Præcipites vittæ fronte ruente, ruunt.

CI. *in Idem.*

Tecum prostrato fertur cecidisse corona
Ut vel sub tumulo tempora digna premat.
Fatorum victor diademate dignus in urna;
Atq; triumphali dignus honore jaces.

CII. *in Idem.*

Lusibus hæc nostris pretiosa Corona Coronis
Ac exornandis sit diadema metris.
Nec nummos sparsit, neç gemmas pauper Apollo
Pauperem ut efferret voce sub astra Patrem.
Vivere non dives, defungi pauper amabas;
Divite non ambis pectine Dive câni.

AP-

APPENDIX
Ad
POESIM HEROICAM.

Augustissimus, primusq; exterorum Regnorum sanguis, in stirpem & decus D. KOSTCÆ per cognationem decurrens.



In decus effluxit, qualis lectissimus orbi
Sanguis erat. Claudianus.

QVo plaudunt splendore Togæ, quo pallia, Regum
Per Divos fluitando fluus in honore triumphans

Dum Tyrio de fonte rubent, roſeoq; cruori
Tingendas merſere genas; cùm Purpura largo,
A primis mundi dilectum, viſcere, fontem
Regibus effudit; trabeatæ & nobile veſtis
In decus effluxit qualis lectiſſimus orbi
Sanguis erat. Phrygio tunc pictus acumine cultus
Temnitur; Attalicis formoſa lacerna figuris
Atq; Semiramia peplum ſublime ſub arte,
Quod Babylon variavit acu, minus æſtimat orbis
Et minus ambit honor, roſeâ niſi tabe rubeſcat,
Et pretium niſi vena togæ rubicunda miniſtret.
Sic magno decus omne fluit de ſanguine, inaurat
Purpureus ſplendore cruor.

Hoc, primis cognata Rogis, tituliſq; coæva
Patritiis Koſtkana Domus, ſplendeſcis honore
Et radias pretio veſtræ Auguſtiſſimus, orbis.
Et qui per faſces, ſparſus per ſceptra rubebat
Influxit ſanguis trabeas; Auguſtoq; Parentum
Facta coloravit minio, Regumq; cruore
Affuſo, pulchrum pinxit per ſæcula Nomen.

Alta, quibus Latii ſubmittunt tempora montes,
Occiduuſq; genû pronè veneratur & orbis;
Auſtriaci, longâ ſerie dominante ſupremi
Hæredes ſolii, non ſciſſa ſorte beati
Juratus quos ſtipat honor; non veſtra recuſant
Nomina, Cæſareo miſceri culmine; magno
Romanis etiam ſociari fœdere, ſceptris.
Mazoviæ de fonte Ducum (a) fluxiſtis eodem
Et Lucina utramq; Domum complexa ſub uno
Semovitana ſinu, primo pro munere faſces
Et primas orbis trabeas innexuit ulnis,
Vix vobis naſci, vix contigit aſtra tueri
Heroum Koſtkæ ſoboles; non ſerpere terris
Non humili reptare gradu potuiſtis, olympo
Admovit veſtrum, famulans Dea Mater honorum,

Dum

Dum Austriaco fecit solio radiare, cruoremq;
Plusne sacrum Imperium vobis? dubitare coegit,
Imperione Domus deberet vestra decoris?
Sed nec ibi immensam, genti bene provida, famam
Sistere passa gradum; Hesperias promovit in oras
Lumina & occiduum occasûs inconscia, duxit
In Regnum; Austriaco sub nomine, junxit *Iberis*
Regibus; occumbente etiam sub nubila Phœbo
Clariùs haûd ignara suo rutilare sub astro.
Hinc verò *Hungarici scep̄tri* delapsus in artus
Inq; Lechi Fratres decurrens fonte *Bohemos*
Purpureo *solis*; demûm *Bosnensis* adivit
Viscera sacra throni, soliis adamatus, eburnö
Imperioq; decor. *Bathoreos* inde, *Stetini*
Inde Duces, *Pomeranos*, *Silesiaq;* Quirites,
Hinc *Electores Neoburgos*, atq; *Rakocych*
Dalmatiæ Proceres, dum magna in fœdera traxit,
Und[illegible] terrarum nodavit Numina, nexu.
Sed ne Kostkanis, mundi pars ulla vacaret
Laudibus, & gelidum Boreæ penetrâre sub axem,
Æquoris impavidæ tractâre pericla, *Gothorum*
Norvegiaq; thronum nactæ pro littore, pectus
Egelidum, accendere domus florentis amore
Ac ussère in vota Duces. Aquilone subacto
Fœderibus, domitô septem affectuq; trione
Et Lechicum supra rubicunda coralla, cruorem
Submisso jactante mari; protendit in ortum
Gens pretium Kostkana suum; *Byzantica* nodo
Attraxit decora; emeritæ ac affine curuli
Adstrinxit solium Imperii; innodavit & ostrum
Fascibus, & clavis cognata in sceptra, Polonis
Fecerat ingressum; in propriam patefecerat orbî
Gentem aditum gemino; Patrio sub viscere clausa
Splendorum quæcunq; stupent miracula, terræ,

Nucleus una domus Regnorum; fonsq́, beati
Sanguinis, Augustis pulchro qui flumine ceris
Influxit, venis Kostkarum illabitur; altum
Et decorum pelagus, Divi Erydanusq́; cruoris.
In Patriæ ornamenta domû, Proavûmq́, triumphum
Heroum famamq́, Patrum; hos produxit Apollo,
In cultus sed musa suos o pusio flectit,
Pusio delicium Lechiæ, superûmq́, volupta,
Muricis Augustiq́, nitor, pretiumq́, Togarum
Et columen Cæleste domus, Proavûmq́, corona
Cêu Phæbus Cæli, conchæ cêu gemma parentis.
Ergo paludatam, terrarum sidera frontem
Flectite in applausum, voto cum pectore, Kostcæ
Stellæ Titani, grandes Phæboq́, planetæ,
Exornaturæ diademata pandite gemmæ.
Pensabit Patribus trabeatos ille decores
Concessos, meliore imò pensavit honore.
Purpureum in Patribus, fecistis murice Kostkam;
In se; cantari vos fecerat ille beatos.
Ut verò sanctos in sancto dicere Kostka
Vos citiùs liceat; dignum conferte laborem,
Promissosq́, Stanislao implorate triumphos.

(a) Semoviti 4ti Ducis Masoviæ filiam Cæciliam, sive Cymbarkam, vitæ sociam assumpsit Ernestus Archidux Austriæ, ex qua reliquit Fridericum 3tium, ex Austriacis primum Imperatorem. Ejusdem etiam Semoviti neptem Sophiam, consortem accepit Joannes Kostka, Palatinus Sandomiriæ, post abscessum Henrici Valesii in Regem Poloniæ candidatus. *P. Durjewski.*

PRIN-

PRINCIPES

Primæq; Sarmaticæ familiæ, Domui & honori D. KOSTCÆ, fœderibus innexæ.



Quæ divisæ coruscos
Efficiunt, collecta tenet. - - - Claudianus.

Est via sidereis contexta monilibus; altum
Lactea nomen habet; *cælo manifesta sereno* Ovid.
Cum ridet sine nube Polus; rutilando sub ipsis

Splen-

Splendidior tenebris; cæco haud obnoxia Fato,
Scintillat nam clara quibus super artubus orbi,
Sidera sunt, venæ stellæ, stellæq; capilli,
Astra sinus; axes quæ *subdivisa coruscos*
Efficiunt, collecta tenet.
Kostkarum speciosa Domus; via strata triumphis
Scintillans & honoris iter, dum sidera specto
In vestras collecta fibras, cerasq; nitentes,
Astra velut clarorum insignia priscæ virorum
Quæ per cognatas mentes divisa, Beatos
Et Casimiros, Hyacinthos, (a) atq, Gedroczas
Effecêre; tuis illapsa penatibus uno
Agmine, suspicio; Kostkarum gente, decorum
Immensæ spectantur opes. Ovid: L. 6. Metamorph.
Hic trabeatus honor numeroso lumine cinctus,
Majestate genas insvetâ tollit in astra
Tot magnis nixus domibus, fultusq, triumphis
Summaq, complexus stellatis culmina Cœli; Man: l. 8.
Emeritam, quorum ut *Famam virtutibus addã,* Stati Se.
In solium pennam, musam sub sceptra relego,
Viscera, quæ Lechiæ tulerant, quæ Patriæ ab ulnis
Creverunt; (Nec enim infæcunda Polonia Regum.)
His, non per plebem repens Kostkana legetur
Gloria, nec rudibus Prosapia congrua venis.
Quis venerabilior sanguis? quæ major origo
Quam regalis erit. Claudianus de laud. Serenæ.
Primi Pierium passu plaudente cothurnum
Piastidæ subeunt; Saturno Patre beati
Felicesq, magis, quorum sub sole, Polonis
Chrysizo micuêre dies, adamante, dierum
Horæ; chrysolithis menses, & sæcula gemmis.
Qui nutu proprio didicerunt flectere sortem,
Ad nutumq, habuêre Deos, fors Diva vel ipsi
Numina, Fortunæq, fabri, cæcæq, rotarum
Regina.

Reginæ artifices; solium qui prole Polonum
Dotavêre; sacris animis *Superasq; Deorum*
Implevêre domos Ovid. L. 4 Metam.
Inde *Jagellones*, de quorum, gloria messem
Et palmis lauruq, ferax carpsisse maniplis
Purpureâ gavisa manu. Sed Numen anhela
Granum Electorum [b] depromosit in horrea Cæli.
Horum Bellonam si quæris nosse ? Pruthena
Jugera, sanguineo spumantia perlege fluctu;
(Quem tumidus Cruciger (c) fractus eff dit ab ulnis)
Hic nec centenis, fas discere, millibus actam,
Quam neq; finitimi valuerunt perdere Prussi
Nec fera cæruleâ domuit Germania, pube. Hor.Epod.
In Michaele, throni Lechidarum sidere, [d] Princeps
Korybutorum Sanguis, per prælia victor
In Duce *Demetrio* (e) cui Mars dum munere clavam
Contulit, innumeros vovit Bellona triumphos.
Intrepidum quocunq, gradum, flexitq, cohortes,
Inde pedem victor, multa cum laude reflexit Tibul: 2.
Regia Patritiô scutô (f) Clypeata *Sobieskich*
Linea, in Augusta quam nuper prole, *Joanne*,
Fama coronavit, natamq, ad sceptra, per oras
Læta tulit, curæq, sacri commisit honoris.
Illa, paludatâ protectrix Ægide, totam
Europamq, Austrumq, avido servavit ab ictu
Elusitq, neces, furibunda & tela refregit
In proprium, conversa caput, Victore Joannes
Qui Turcæ *Luna nuper nascente profectus*
Ante redit, quam plena fuit. Claud:
Lithuana de gente *Duces*, charissima marti
Pectora, semper & assiduis florentia palmis
Et toti, hostili gemitu vocalia mundo
Ipsi magna sibi præconia, & inclyta nomen.

Cand

Cantant gesta suum, *quæ nec ventura silebunt*
Lustra nec ignota rapiet sub nube, vetustas. Claud.
Mazoviæ vos forte pari, mitræq, nitore
Dissimili nec, honore *Duces;* Lucina nepote
Cæsare non uno, multo quos Rege beavit
Austriaca, infensam quamvis vos Parca sub urnam
Jecerat; *at nunquam vestri morientur honores.* Stat: 7.
Omnibus auditi terris mundiq; per oras (Theb:
Ibitis.(Idem)*Et seri laudabunt sæpe nepotes.* Mart: 4.
Russorum Princeps & Phœbus sanguis in *Ostrog*
Sanguis adoratus, solis nascentis honore
Exceptusq, throno (g) præ cujus adorea dextris,
Elisiis veluti, surgens, vernabat in agris;
Rore velut. scythicâ (h) Cosacâ seu tabe rigata.
Iverunt quocunq, Duces. cêu fulmina belli
Scipiadas spectasse fuit, succumbere nunquam
Nec desperandum Theucro Duce, & Auspice Theucro.
Vos bene Regali Jovis appretiata volucri [i] (Horat.
Corda *Radivilli, coccô vel murice tincta*
Quæve Tyron toties epotavêre, lacernis. Mart: l. 4.
Sarmaticis Lithavisq, plagis rubicunda; Gradivo
Devotos, pergam si commemorare labores ?
Hostili & toties potatam sanguine cristam?
Vos neq; Titides, nec Larissæus Achilles,
Non anni domuêre decem, non mille carinæ. Virg: 2
Tanta erat & virtus, & cum virtute potestas. Manil.
Sanguszkos, non est, tenui cui pectine Musa (Lib: 4.
Perstrepat, audaci quos Martia cornua cantu
Victrici & Bellona tubâ proclamat, avitô
Cornipede ascenso, totum procurrit in orbem
Mercurius, latis vulgans sacra Nomina terris
Indomitam Heroisq,(k)Manum; quem stemmata jactant
Et

Et nutrit cor forte animo *Si Pergama dextrâ*
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent. Vir: 2. Æne
De Kiewan Czartoryskich sub Principe cultu
Purpureo laus fonte *Duces* effudit in altum
Elogii pelagus, ludit quo Patria Navis,
Clavis pro remis, pro velis murice dives,
Proq́, vado, illustri Heroum gestata cruore;
Cum struat excelsum non unus scipio malum
Navarchôsq́, gerant Proceres, prudentia quorum,
Consiliû summis Regni de rebus habebat. Vir: 9. Æn
Excessêre gravi, celebrata oracula Consi
Canitie ingenii, prægressi mente Catones,
Quivis, *Consiliis habitus non futilis author.* Id: 11. Æn
Sluccenses & *Zasławskich* licet ausa, *Koreckich*
Fata simul, viduatæ surripuisse Curuli
Et Patrio exemisse sago; tamen alta Quiritum
Immemori hâud potuit labiô tumulare trophæa,
Et nec mortalem, per pigra oblivia famam
Obruere, aut tacitis Nomen sepelire sub umbris.
In Trabeis post Fata rubent; in casside vincunt,
Hostibus & tristes accendunt fronte furores.
Nulla horũ monumenta virûm, dilapsa videmus. Lu-
Tot cognatorum fulges diademate Regum [canus l. 5.
Kostka, mitrisq́, Ducum; speciosa corona coronis
Mitra Mitris. Comitum, Procerum, si Musa recenses
Numina cum Trabeis? Divis tot grandibus impar.
Sed prius emenso Titan versetur olympo
Quam mea tot laudes decurrere carmina possint. Idem 7.
Leszczyniam, quis enim vatum de sanguine, stirpem
Sufficiens narrare queat? quæ svada loquatur
Par meritis? quibus alta Lechi subsellia, nunquam
Sufficêre exornandis; vel mille curules
Vel totidem quærenda chronô, decora alta fuerunt
Ut grandes possent justè pensare labores.

Cum-

Cunctos CZARNKOWSKICH Heroica fascia, fasces
Purpureo complexa sinu, vultuq; rotundo
Æternum decus esse doces. *Dum montibus umbræ*
Lustrabunt, convexa Polus dum sidera pascet
Semper honos Nomenq; tuum, laudesq; manebunt.
Fortunæ ad portum delata *Opalenia* Navis [Virg: 8.
[Sed cui non similis per sidera fulserat argo]
Et blando sortis Zephyro delata faventis
Gestorum directa manu; cui stella Polaris
Splendores Patrii fuerant, & scipio remus,
Portus honor, Naucleri Heroes, carbasa Murex
Prompta quibus, cursu super astra vehare secundo,
Castalios fundo sub rostra volantia fontes.
Imperii Princeps sanguis LUBOMIRIUS; undis
Quas Patrius Srzeniava vehit, præcellit Hydaspi
Gemmifero; quas despumat Pactolus arenas,
Exsuperat pretiumq; Tagi Facundia novit
Nonnisi perspicuas *Lubomiria* fundere gemmas,
Et solida infracto documenta adamante, notare.
Stanslaum appello. plausit cui scipio, testem
[Qui *sua complevit*, nuper delatus in astra
Tempora, perfectis, quos terræ debuit, annis)Ov: 15.
Jlle foro auditus cum dulcia solveret ora (Met
Æquabat Pyliæ Neleia verba senectæ. Silius Ital: l. 15.
Ad belli laudes, (*nec enim tibi sola potentis*
Eloquii virtus (Stat:) gens Martia si rego pennam?
Unus, non pridem Casimiri ad tempora, victor
(*Cui laurus æternos honores*
Dalmatico peperit triumpho.) Horatius.
Sufficit, Hungaricis descripta encomia collis (l)
Ferrato cui fama stylo devovit; & oris
Evulganda tulit.
Astriferis præ ceris, sidera prima *Sieniawscy*

Pro

Pro meritis soles. Terrens & robore Nomen
Et titulis radians, Patriis à finibus hostes
Bubones veluti, propulsat Phæbus in umbras.
Hinc si pervolvas bellacia corda? Polenæ hos
Auxiliumq; Domûs, servatoresq; fatentur. Ovid. 4.
Si Trabeatorum monumenta corusca decorum?
Una Domus Regnum, Lechiæ Domus una senatus.
Tarnowskich comitum relego quos indice stella [m]
Audio seu linguâ Cæli (n) jactante triumphos;
Non nova, non antiqua pares his, lustra tulerunt.
Cedant Druse tui, cedant Trajane labores;
Vestra manus, dubiô quidquid discrimine gessit,
Transcurrens domus hæc *egit, totidemq; diebus*
Edomuit, tardis quot vos potuistis in annis Claud: de
Quos Lublinensis non scisso Purpura nexu (bel: Get.
Adstrinxit sibi, *Tarlones*; & fœdere pulchro
Tęczyńscy junctis quibus ascia (o) prisca curules
Præsulibusq; pedum, Divasq; fabricatq; cathedras;
Hocq; polita genas longo splendescit ab usu,
Claraq; perpetuis insculpit Nomina cedris
Immortale decus, trucibusq; impervia Fatis.
Intrepidos bello Marios, sed pace ZAMOYSKICH,
Zenones, [p] altâ quercum gens Patria, fronte
Nixa basi veluti, per plurima sæcula tristi
A casu secura stetit, secura salutis.
Innumeros taceam si, spartâ utrâq. beatos
Fulcra domus, Proavos. Te magne silere Joannes [q]
Non possum, Regni qui Cancellarius, orbi
Dum Lechico responsa dabas; *Oracula Regis*
Eloquio crevêre tuo, nec dignius unquam
Majestas meminit sese Romana locutâ. Claud: 3. Cons
Legibus Augustum populis figendo tribunal
Juris & Augustal, præconia justa Lycurgi
Æqua-

Æquâsti, vincens magnos & laude Platones,
Cui Themis suum recluserat
Pectus, suoq; astraea foverat sinu Lipsius.
Cum verò Ductor Mavortia signa præires
Passu, sed factis Pyrrhos; tuns Patria certis
Lauribus, *ad solem victrix utrumq; cucurrit*
Tres potuit superare Duces (r) *fregitq; furentem*
Cunctando, vicitq; manu. Claud: de bello Get.
Patritiam in laudes aptavit gloria pennam
Mnißkow. Quæ Tyrium dum sorbet viscere fontem
Pro pallente Theti, illustris fit sepia murex
Charta togæ; Fortuna manum dum jungit arandis
Gestis, materies plausus, sunt scripta, triumphi.
Scriptum inibi accrescens Nomen dum specto Josephi
Grande Mareschalli, vitæ sub luce Beati
Nec Parcæ nori, subjunctum perlego lemma:
Omnia felix
Cui natura dedit, nullo renuente Deorũ. Sil. Ital. 15.
Heroes salvete, Deûm genus (Catullus) alta *Potockich*
Et meritis & honore Domus; quâ habitare supremi
Et nasci vellent, annisq; adolescere; terras
Si possent coluisse Joves. Qua Numina gigni
Ipso nobiliora, docent monumenta, Gradivo.
Non ruptâ Heroum serie, *in certamina rursus*
Succedunt; animasq; in aperta pericula mittunt. Vir-
Pro Patria, & Divæ pro libertatis amore; [gil. 9. Æn.
In Gentilicia Cruce, Sarmatiæq; Domusq;
Et legum salvatores, pretiumq; salutis.
De *Jablonovijs* iam gloria ditior actis
Et Bellona armis, juncto in præconia voto
Conspirant, Bellona tubas & gloria musas
Elegiis onerat, trabeas hæc, illa labores
Cantat Achillæos, nec Stanislae triumphos
Præ-

Præterit officioſa tuos; quos Cynthia flexo
Nuper adoravit cornu, Turcaq́, ruente
Procidit in cultus, non falſo teſte Viennâ,
Nec, Divo Koſtka experto tutore, negante;
Arcta, paludatâ qui in prælia, voce vocatus [s]
Robore non dubio adfuerat, factôq́, locutus:
Non ſine me eſt tibi partus honos. Tibul. L. 2.
Zaluſkich & *Karnkowſkich* ſub vellere vervex
Purpureo [Regum ornandis quod dignius armis]
In Lechum ſi bella tonant? ferus arîetat hoſtes;
Si Regno ridet pax? mitis victima Cælo
Accenſâ pietate flagrat. Soleata [t] RZEWUSKICH
Scandit inoffenſo decorum capitolia, paſſu
Planta, cui in meta chlamydes fixitq́, trophæa
Præneſtina Parens. Comitum (u)donata, BRANICKICH
Majeſtate domus; tot Vatum, laude camænas
Laſſaſti, ingenium docti prægreſſa Maronis
Exceſſitq́, fidem meritorum ſumma tuorum. Ovid: 7.
In Te, ſuprema Offolinſcia fama, vel uno
Multa orbi patuit Latio facunda, Georgi [w]
Cujus Roma ſtupens nuper pendebat ab ore
Anglus, & Imperium; primis dum verba Coronis
Digna, velut gemmas labiis cecidiſſe putabant.
Non Pylos aut Itace tantos genuiſſe feruntur
Neſtora, vel parvæ magnū decus urbis Ulyſſen. Tibul: [Lib: 4.
Vos ut ſufficiat mundo vulgare Thalia
SAPIEHÆ, gemitus vocales colligit hoſtîs
Et ſub metra vocat; nec jam Phæbea placebunt
Facundâ populis effuſa oracula Delo
Pæaneſq́, Deûm; magni pars ſumma triumphi
Ipſo teſte cani extorris vel ab hoſte querelis,
Priſca Ducum, Geticum ſolo terrentia vultu
Martem, corda *Koniecpolſkich*; per ſæcula, cuſta
Murice, *quæ claris Nomen virtutibus æquant.* Ov. 2.
Et ſuperant; omni quorum gens ſorte coruſca

Innumeris vernat palmis, *victrixq; volentes*
Per populos dat jura, viamq; affectat olympo. Virg. 4
Ipsemet in prædam Accipiter bene cessit honori
Myßkowskich, solô iam palci svetus amantis
Corde Lechi, solos Patriæ famulatur ad usus
Ad nutusq; volat, nec Patria sceptra relinquit
Obsequiiq; morem patitur, sed prævolat Euris.
Una, nemus palmarum, Arbor celsissima *Dabskich*
Quot folia, immortales tot de viscere laurus
Trudens, à Latio non quærit littore frondes
Nobiliusq; suo depingit tempora partu.
Quid *Chodkievicios* Patrio gratissima Marti
Pectora? delicium Lechicæ sublime curulis
Szczavinios? quid corda canam trabeata *Przerebskich*
Quid *Zebrzydovios?* primorum gentis honorum
Sarmaticæ hæredes? Bellonæ ab amore colendos
Vapovios? blandæ Fortunæ sorte clientes
Przyiemskich? & quorum semper aperta triumphis
Porta patet, proprio in ceris armata Gradivo
Grudzinios? trabeis venerabile pignus & ostro
Dzialynios? Famæ notissima nomina *Lackich?*
Krasiniosq; Togis? Patrio cultosq; Senatu
Lasiow & *Radziejowskich?* quos Mater honorum
Vix scivit coluisse satis, pulchrosq; labores
Vix potuit pensare pari conamine plausûs.
Hos Fortuna tuo donavit Kostka decori
Splendores Patriæ, Lechico sic fulseris axi
Velut inter ignes Luna minores Horat:
Sed quos allucere tuis Stanislae triumphis
Collecto fulgore vides Proavûmq; Patrumq;
Et totum confecre jubar; nostris nitores
Perge, [tuo flecti voluit qui Polisc] [x] Phæbo
Et lætos accende dies, Domibusq; virisq;
Qui sua Kostkanis distendi laudibus ora

Gaudent

Gaudent, Majestate beati & mænia cultûs.
 Id dum decantant vates, vos munere votum
Varum implere viri, Divo instaurando triumphos
Majores aliis; majori & pectoris ausu
Et cordis fervore. Aliis non improbo sanctis
Votivos plausus, & sancta Anathemata ferri
Laudo; magis teneros ardores Kostka meretur
Utpote de vestris os cognatum ossibus; insons
Et vestra de carne caro.

[a] S. Casimirus per Jagellonios, S. Hyacinthus per Odrowazios, B. Gedrocza per Duces Lithvaniæ, ex quorum fuit sinu, B Kostcæ cognati. Vide colligationem Kostkarum cum his & omnibus hic descriptis familiis, deductam apud P. Durjewski in memoria Domus Kostkanæ. [b] Præfatum nempe S. Casimirum Jagelloniden. [c] Ad Grunevaldam totâ fere collectâ Germaniâ Magister Crucigerorum adeo ut implevisset lectorum militum 140000, fusus à Vladislao Jagellone, in acie cæsa amisit 50000 capta 14000. cum Ducibus Olesnicensi & Stetinensi; cætera fugata, die divisionis SS. Apostolorum. [d] Lunam domus hæc gerit pro stemmate. [e] Magnus Dux Exercituum pariter bellicosus, ac felix. [f] Scutum gerit pro stemmate. [g] Duces in Ostrog, Orientis Imperatoribus, proximo fœdere erant juncti DurjeWski. [h] Vide ejus Victorias de his hostibus amplissimas apud Simonem StaroWolski in Bellatoribus Sarmatiæ. (i) Patritium insigne gestatur ab illis nigra Aquila. [k] In ceris Gentilitiis gerunt equitem ad pugnam, exempto jam etiam & intentato mucrone, expeditum. [l] Irrumpentem in Poloniam prædatorem Rakocyum cum Hungaris, & post cum opima præda aufugientem, collecta festinè manu assecutus Lubomirius, fudit ad limites. (m) Lunam cum stella in Stemmate portant. (n) Stellæ dicuntur linguæ Cæli. (o) Pro insigni est illis Alcia, Starza dicta. [p] Zenonem Philosophum Athenienses, tanto honore prosecuti sunt, ut apud eum claves urbis deponerent, i-

psumq; ornarent aureâ Coronâ & imagine ærea. Laertius. Ejus elogia lege apud Paulum Piasecki Episcopum Premisliensem. (r) Maximilianum, Moschum, Scythas. (s) Ipse testatus est, aliquot cohortibus Polonis sinistra sorte cum multitudine Turcarum confligentibus, ubi Beatum inclamâsset, illico aleam mutatam. (t) In ceris habent soleam cum mediis duabus crucibus. (u) in Ruszca. (W) Ejus legationes varias, unam præsertim ad summum Pontificem à Vladislao 4to, cum non visa hactenus Romæ Majestate, & dicta inibi oratione, vide descriptas apud Vassembergium in historia Vladislai 4ti. (x Christus sol justitiæ in manibus D. Kostcæ depositus.

Gloria Divinissimi Stanislai ex propria Illustrissima Kostkarum stirpe



Patrio capiunt de sanguine lucem. Eobanus.

VItalem *capiunt Patrio de sanguine lucem*
Et natale jubar; soboles effusa, Canopi
Aligero super arva sinu, Nili accola ripis
Et Phariis bene nota plagis (a) non indiga rapti
Concessive volucrum alieno è viscere tabi,
Ut Phœbi sublime jubar tueatur & astra
Effugiat Fatiq; truces felicius umbras.
Edita quo terras adiit, sustentat eodem
Formosam, Patrio Pelicani sanguine lucem,
Prima licet vestræ terrarum Nomina, Kostcæ
Inseruit Lucina favens, Domuiq; fibræq;
Quidquid & externis radiavit nobile sceptris
Implantavit honor, non attamen indiga lucis
Concessæ, Augustum nativo fulsit in ostro
De proprio splendore jubar.
Jlicèt à prima si volvis origine gentem
Ac haustæ primùm quæris cunabula lucis
Natalemq; thorum, rosei fontisq; cubile?
Non licuit parvum Te Nile Polone, videre.
Par sibi provecto suprema in culmina Cæli
Dimidiumq; Polum, sol primo vastus in ortu;
Et primis pretium par, jactet ut unio cunis
Dant superi semen, rorem communicat axis.
Ut vestræ jam prima domus exordia, vultûs
Majestate, senum æquarent monumenta domorum;
In ceras Divûm traxistis Nomen ab axe,
Et Polus affudit sacrata vocabula claris
Stemmatibus (b) Kostkana quibus primordia fulgent,
Ad magnos verò seu Consi, sive Gradivi
Heroas, Proceresve, togâq; sagoq; beatos,
Ad clavum Imperii mites, sed robore nullo
Ad clavam fractos, forti quin pectore sveros
Herculeâ seu fronte minas nutrire, furorem
Addictumq; Lecho galeâ irritare, vel uno
Hostes aspectu trepidis allidere terris.
Purpureæ sobolis primæva ab origine Patrem

Aspice, Paganæ crudelia scommata turmæ
Contemptumq́, Poli, Patrios sperniq́, maniplos,
Sufferre audaci nec fronte nec Aure potentem
Viribus ast concesso animo, frænisq́, volanti
Cornipedi, plenos (quos fata vel ipsa timerent)
Frangentem cuneos, stratosq́, cadavere campos
Calcantem victore gradu, Lechicoq́, vel unum
Cum mucrone virum facientem castra; stupentes
Effusoq́, in bella animantem pectore fratres.
Cerne *Przybyslaum*, cui Purpura cinxerat armos
Mazoviæ, Palatina Fortuna curuli
Conradina (b) virum dotavit; at ægide Mavors
Armavit pectus, Bellona & in arma calenti
Corde fibras, magnis generosos ausibus armos;
Crudeli, Patriæ, experti quos mente latrones
Jazyges, tenui jacti sub Fata cohorte
Pollice sed valido, bene gnari dicite testes
Implevisse suas Heroem robore laudes. (c)
Lanciciæ Palatinum sua clava BOGUTAM (d)
Subjectæq́, Duci Casimiro fortius urbes
Concesso à fama cantant in secula, cornu,
Mœnia, signaris Cruce, *Dzialdoviana*, *Navoio*, (e)
Germanis erepta; *Lipiensia* valla, *Jacobo* (f)
Rupta, ferunt muraigm in tempora læta coronam.
Palma STANISLAUM victorem cæde Getarum (g)
Lecta, Palatinô culmæ post murice vernans
Prætulit infracto trabeata laude Metello.
Tu verò Princeps fatearis Erice, Joannis (h)
(Quem Sandomiriæ coluit Fortuna sub ostro
Quive gubernandi Regni, *virtute paravit*
Eminitas *propria doies sed Purpura* Regum
Inferior virtute fuit: meruitq́, repulsam
Obvia Majestas; doluit Fortuna minorem
Se concessa viro) Claud: in Epithal. Pallad.
Seu celerem passum seu promptam in prælia dextram

Nec

Nec cunctatores tutanda in sceptra lacertos
Et volucres in bella manus; repressa Gedani (i)
Olim fœdifrago surrecta rebellio corde
Annuet, in robusto experta Joanne Cononem. (k)
A Stanislao verò tot fusus arenis (l)
Moschus, & innumeris ejectus ab urbibus, alto
Immerso lachrymis gemitu narrare coactus
Afferet immensos plausus, vel cædibus ipsis
Victori; terrisq; inscripsit sanguine laudes
Victricis pingens ostro hoc vestigia plantæ.
Augustis angusta fuit sed Lechia gestis,
Herculeos, nec vasta Polonia cœperat ausus
Immensumq; animum, arctari non limite, claudi
Maximus haud potuit Patriæ sub finibus oræ.
Dilectum Marti campum quæsivit in orbe
Externo, hostilemq; manum quam sternere passu
Et porro posset mentem recreare triumpho.
Gallorum cognata sacris plaudentia palmis
Lilia, quæ nunquam porrexêre hostibus herbam [m]
Nexuerant sed serta suis victoribus, apta
Florenti domui, genium allexêre virentem
Lauribus æternis; Princeps Henrice Navarræ (n)
Testis eris, Gallo quem ne sors invida sceptro
Livor & arceret, clypeatis mille Gradivis
Quingentisq; viris Kostcæ juvêre, suoq;
Victores donâre throno; tot & arte trophæis
Herculea partis, sobolem docuêre fuisse
Se Martis non degenerem, Æthaliq; sodales. (o)
Consiliis verò, si affinia Numina Conso
Quæris? & agnatas Jano per fœdera mentes
Ac mites sub pace sinus, quêis blanda curuli,
Blanda togis, trabeis optata malacia risit,
Si volves monumenta domûs, arcana recludes
Siparia, & releges, famæ quos penna norevit
Purpureô formosa stylo? pulchro ordine ductos
Octo Palatinos, Præfectos, plurima cantant
& Castellanos numero nec sorte minores

Sæcula; ſceptra quibus ſolii oblectata Poloni
Mazovicæq́, mitræ, tutæ indulſêre quieti
Tempora, pro Regno Antipatris vigilantibus iſtis.
Hic leges, & ſancta leges data jura Trioni
Quæ daret ipſe Polus; decreta inſtructa, probavit
Quæ ſuper axe Themis; populis porrecta ſtatuta
Non poſſet formare quibus meliora vel ipſe
Emathion æqui cultor, timiduſq́ Deorum. Ov: 8. Met.
Et quorum juſtis *nil ultra laudibus addi*
Judicioq́ poteſt. Claud. Epithal. Pallad.
Ad ſacros vigilem pennam ſi flexero faſces
Præſuleumq́, pedum, Prælatorumq́, Cathedras
Obtulerat quas Culma (p) libens, ſeu Varmia (q) Koſtkis
Virgilio Panthos [r] cantatos video Phœbi
Pontifices Animumq́, ſimul myſtamq́, Ducemq́, (s)
Inſolito his Divina Fides plauſiſſe triumpho
Præſidibus fertur, nec ſveto Eccleſia vultu
Sarmaticas coluiſſe plagas; pietaſq́, Patronis
Hæredem gentis, Koſtkis, egiſſe Polonæ.
Peplinum Abbates (t) quos junctaq́, cantat Oliva
His redivivum Bernardus ſe jactat, & almi
Cænobii ſtupuêre Patres; nec ſancta negavit
Relligio, primorum animata calore Parentum
Ad Matrum feriem, vertat ſi Muſa, beatam
Fæcundum elogiis calamum? monumenta docebunt
Quod Patribus Koſtkana Domus, *nec laude virorum*
Cenſeri contenta fuit, niſi Matribus æquè Claudian.
Vinceret, Aurelias Julii, Gracchiſq́, coruſcam
Corneliam. Referet ſi Nomina magna Duciſſas
Sive Palatina Fortunæ lege, retexet
Sêu Caſtellanaſq́ dubio cedente monetur:
Quod *Domus hæc utroq́ petit diademata ſexu.* Claud
Hæ Patrium, implevêre rubenti prole Senatum
Invictis & caſtra Viris Heroibus arma
Præſulibus Cathedras, trabeaſq́, Quiritibus, aulas

Conſu

Conſulibus, Patriam ſtatûs & Regni miniſtris.
Optarent multum Grajæ, cuperentq́; Latinæ
Sic peperiſſe nurus Stat. L. 2 Sylvarum.

Hanc Stanslae capis Proavûm de ſanguine lucem,
Hi de ſorte Patrum manant in geſta nitores
Dive tua è magnis Saturnis edite Chiron,
Dives avîs, u roq́; Jovem de ſanguine ducens. Idem *[a]*
Accendis Pietate jubar quod Patribus, illud
Compenſant ſplendore Patres, & faſcibus augent,
Virtuti non vile decus pretiumq; paratur
Nobilitate domûs. Propriis licet inſita geſtis
Nec conceſſa fovet, jactatq; encomia, magnis
Ills tamen gaudet, clariſq; clientibus orbi.
Eſt ſibi gemma decor, gremium tamen expetit auri,
Plumbi pondus iners ac æra ſubire recuſat.
Gemma fuit virtus, trabeato ſanguine fuſis
Chara viris; Aurum gemmæ Stanslae fuiſti.

[a] Pelicanus naſcitur in Ægypto ad Nili ripas. Calepinus. [b] Primo ſtirpis Koſtkanæ, de ſtemmate Pobog bellatori inſigni, juxta Barthol. Paprocki in nido virtutis, ob heroicè repreſſum Paganum hoſtem in loco DabroWa dicto, ad antiqvum Stemma Pobog binæ ad latera ſoleæ Cruces adjectæ; nomine etiam, à loco meriti, DabroWa impoſito. P. DurjeWski. Præfatus Heros, impatiens à Paganis hoſtibus ſcommatum in verum Deum cunctanteſq; ob ſuorum paucitatem Polonos prôiectorum, addito calcaribus equo, medio hoſti ſe inſeruit ſolus, terruit, cuneos perrupit, viam ſuis aperuit, animum auxit, victoriam peperit. Idem. [c] Conradus Dux Maſoviæ in Literis Donationis Bonorum Praſnyſz Domui Koſtkanæ, vocat eum, ſtrenuum bellatorem. Paprocki in Stemmatibus Polonorum. [d] Caſimiro Duci Maſoviæ ſubiecit vi bellica Lanciciam, Spicimiriam, Siradiam, Roſpiriam Długoſz in hiſt: Pol. & Paproc. fuitq; tunc Magnus Dux copiarum Maſoviæ. [e] Anno 1464. Crucigeris Poloniam

lacessentibus, fortalitium eorum Dzialdoviam obsedit, & expugnavit. hist: Polono Pruth. (f) eodem bello durante fortalitium Lipiense expugnavit & ademit Crucigeris. Idem. (g) Inter strenuos bellatores in conflictu & victoria de scythis relata Anno 1512. numeratur ab authore hist: Polono Pruthenæ [h] Erico Duci Brunsvicensi cum 17. Saxonum millibus, juxta Bielski, Prussiam Regalem invadenti, ad Tczoviam cum subitò collecta manu obstitit, aditum negavit, redire coegit, Castellanus Gedanensis prorunc.[(i)Ejus cohors magna parte peperit victoriam de rebellibus Gedanensibus, quorum tunc 12. millia à binis Polonorum millibus cecidêre ad Lubiszoviam. Eosdem ab obsidione Civitatis Tczeviensis abegit, per Filium suum eò missum cum bellicis tormentis & copiis. Durjewski. (k) Conon fuit Dux Atheniensis bellicosissimus, de quo crevit adagium: Bellum Cononi, curæ fuerit. Justinus L. 5. (l) Succamerarius Culmensis, Generalis Artilleriæ Regni sub Stephano Bathoreo, tam in Livonia, quam Russia munitissima fortalitia, dexteritate sua Moscho eripuit. Heidenstein de bello Moschov. [m] Hosti herbam porrigere diverbium id est vinci & subdi, (n). Principibus Franciæ negantibus aditum throni Gallici Henrico 4to. Regi Navarrhæ, unus Kostka junctis animis cum Konopacki propriis impensis 1500 clypeatos Polonos conscripsit, in castrisq;Henrici, per triennium ære proprio conservavit, donec certum sceptri Gallici Henricum effecisset. Vassembergius in carcere Gallico, Joan: Casimiri. [o] Æ holus Martis filius. [p] Petrus Kostka Episc. Culmensis, à S. Carolo Borromæo epist. 85. laudibus celebratur. (q) Joannes Kostka filius Palatini Pomer. Canonicus Varmiensis (r) Panthus Otriades? Arcis Phæbiq; Sacerdos. Virgil. 2. Æneid. (s)Rex Anius Rex idem hominum, Phæbiq; Sacerdos. Idem. L. 3. Æn: (t) Nicolaus Kostka Abbas Peplinensis, Nominatus Culmensis. Joan: Kostka Abbas Olivensis.

INDEX

Rerum Poëticè tractatarum.

Litera p. paginam. v versum. Ep. epigramma, denotat.

Hære-

Lublin

Suppli-

Menda Typi sic emenda.

p. 16. v. 17. squalles. l. squallens.
p. 23. v. 12. sola ruit. l. sola fuit.
p. 26. v. 23. pse. l. ipse.
p. 54. v. 28. Gande. l. grande.
p. 57. in fine. justissimu. l. justissimus.
p. 68. v. 3. sacro. l. sacros.
p. 69. v. 15. pio. l. pios.
p. 71. v. 18. E flam: l. Et flam:
p. 76. v. 8. vitæ. l. vivæ.
p. 80. v. 3. Pyroi. l. Pyrois.
p. 142. Ep. 65. v. 1. licee. l. licèt.
p. 151. ep. 126. v. 2. migrantu. l. migrante.
p. 191. ep. 134. v. 2. lvas. l. valvas.
p. 203. ep. 101. v. 1. Virgiæ. l. virgæ.
p. 204. v. 1. Patri. l. Patris.
p. 219. ep. 280. v. 3. sublima. l. sublimia.
p. 221. ep. 8. v. 1. vir. l. vix;
p. 225. ep. 29. v. 8. obstupui. l. obstupuit.
p. 226. ep. 36. v. 4. facta, l. sancta.
p. 238. ep. 106. v. 2. genii. l. genis.
p. 64. altoq; l. ex altoq;

SYLLABUS AUTHORUM

Quorum testimonium in opere adhibetur.

P. Alegambe Philippus S. J. In mortibus illustribus virorum Soc: JESU.
S. Augustinus.
Bagatta in admiranda orbis Christiani historia.
Baronius Martinus Clericus Jaroslav: in suo opere Romae approbato.
P. Bartholi Daniel S. J. in vita B. Kostcae.
P. Bielicki Stanislaus S. J. in Concionibus de SS.
Bielski in historia Polona.
P. Bonetus Antonius S. J. in vita B. Francisci Regis.
P. Broeus Claudius S. J. in ejusdem vita.
Bzovius Abrahamus in Annal. Eccles. Et in propagine S. Hyacinthi in Polonia.
S. Carolus Borromaeus in Epistolis.
Catullus.
Chełstowski Dionisius in Epitaphiis S. Stanislai Episc:
Claudianus.
Cornelius Severus in fragmentis vet: Poët:
P. Creuxius S. J. in vita B. Francisci Regis.
Cromerus Martinus in historia Polona.
Curtius in histor: Alexandri.
Damalewicz in vitis Episcoporum Vladislaviensium.
Dares Phrygius de bello Trojano.
Długosz in historia Polona; & in vita S. Stanislai Episc.
P. Durętewski Andr: S J. In memoria Domus Kostkanae.
Eobanus.
Fredro Maximilianus in historia Henrici Valesii.
Grotius.
Heidensteinius de bello Moschovitico.
Herburt in historia Polona.
Historia Polono Pruthena.
Horatius.
Justinus historicus.

Kadłu-

Kadłubek Vincentius in historia Polona.
P. Kałuski Stanisl. S. J. in Conc: de B. Kostka.
Kobierzycki Stanisl: in historia Vladislai 4ti.
Kołudzki Augustin. in Throno Patrio.
Laertius in vitis Philosophorum.
Lipsius.
Lucanus.
Lonievvski Christoph: in vita B. Stanislai Casimiritani.
Lubinski in vitis Episcoporum Plocensium.
M. S. historia sacelli Lublinensis B. Kostcæ.
Mamertinus in Panegyri.
Manilius.
Martialis.
P. Massen Jacobus S. J. in Palæstra Eloq. ligatæ.
Mênologium Polonicum S. J.
Miechovita Mathias in chronicis Polon.
Miles Christianus.
P. Młodzianovvski Thomas S. J. in Concionibus de S.S.
P. Nadasi Joannes in anno dierum memorabilium S. J.
Nakielski Samuel in Miechovia.
P. Natalis Antonius S. J. in Lib: de Conversat: Cælesti.
P. Oborski Nicolaus S. J. in Relatione Mirac: B. Kostcæ.
Ofiarovvicz in historia, Thaumat. B. V. Myslenicensis.
Okolski Simon in orbe Polono.
A. R. P. Oliva Joannes, Gen: S. J. in Conc: de B. Kostka.
Oparovius in vita S. Salomeæ.
Ovidius.
Pacatus in Panegyri.
Paprocki Bartholom: in Nido Patrio, & in Stem: Pol.
Paskovvski Martinus in Sarmatia Europæa.
Paulus Diaconus.
Piasecki Paulus.
Plato.
Plinius in histor: Naturali.
Plutarchus.
Propertius.
Pruszcz Hyacinthus in fortalitio Regum Polon: & in clenodiis Urbis Cracoviensis.

P. Radau.

P. Radau S. J. in oratore extemporaneo
Radivillius in Peregrinatione Hierosolymit
Ranotovvicz Stephanus in vita B. Stan: Casimiritani.
Ravisius Joan: in theatro Pòëtico.
Rescius in vita Stanislai Hosii S. R. E. Card.
Richardus à S. Victore.
P. Sacchinus S. J. in vita B. Kostcæ.
P. Sarbievvski Casim. S. J.
Sardus.
Sarnicius in annal. Polon:
P. Skarga Petrus S. J. in vita Beati Kostcæ.
Silius Italicus.
Starovvolski Simon in Bellatoribus Sarmatiæ.
Statius.
Stragona seu historia Posnaniensis.
Svetonius in vitis Cæsarum.
P. Tanner Mathias S. J. in Societate JESU Apostolorum Imitatrice; item in militante usq; ad Sanguinem.
Terentius.
Thomas à Kempis.
Tibullus.
P. Tłuczymski S. J. in vita B. Kostcæ.
P. Tylkovvski S. J. in vita ejusdem.
Vadingus in Annal. Minorum.
Vassembergius in historia Vladislai 4ti; & in Carcere Gallico Joannis Casimiri.
Victor.
P. Vieira Anton. S. J. in Conc. de B. Kostka.
Virgilius.
Vita S. Ignatii.
Warszewicki Christoph. in Paralellis.
Zahn in Æconomia mundi mirabili.